LEGEM STICHOMYTHIÆ
QUIBUS RATIONIBUS OBSERVAVERIT EURIPIDES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

DR. CL. AUGUSTINUS FUNKE,

SEMINARII LUDIMAGISTRORUM HEILIGENSTADIENSIS

MAGISTER ORDINARIUS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXV.

AVUNCULO SUO

JOANNI STEINHOFF

VIRO REVERENDO, PAROCHO BELEKENSI

AQUILAE RUBRAE EQUITI

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIE GRATEQUE

D. D. D.

SCRIPTOR.

Diverbium si ita dispositum est, ut ex singulis versibus constet, iam apud veteres proprio nomine stichomythiae appellatum esse invenimus. Pollux enim „περὶ ὑποκριτῶν ἢ ὑποκρίσεως“ lib. IV, 113. sic de hoc dialogo: *στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ᾽ ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν, καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν.* Poetae optime personas singulis versibus colloquentes faciunt, cum rixa de aliqua re exorta est vehementior, ubi tamquam ictibus percutit alter alterum; cum gaudio magno, timore aut dolore vehementi animi adfecti sunt. Praecipue in explorandis indagandisque rebus, maxime si interroganti alteri alter invitus respondeat, poetas diverbio hoc usos esse atque egregie studuisse videmus, ut versus singuli artificiose disponerentur. Cum saepissime hic modus colloquendi in fabulis nobis occurrat, praesertim cum personae sic colloquentes haud raro interrogationibus inanibus immo ineptissimis sese interrumpant itaque ne plures versus loquantur impediant: hoc genus symmetriae iudicandum nobis est non forte fortuna natum sed consulto et de industria a poeta factum.

Attamen interdum in locis stichomythicis personas plures versus proferentes invenimus et initio statim et in media parte et in fine huius dialogi. Sunt, qui omissa quavis de his locis inquisitione alterum versuum „lege stichomythiae“ eiiciendum esse putent aut lacunam inter eos ponendam versus, qui fuerit alterius personae colloquentis. Eam esse iam nostris temporibus nonnullorum criticorum incuriam ut in locis difficilioribus statim de eiiciendis versibus cogitent aut lacunis totam rem committant, dolendum sane est. Quod quidem de lege stichomythiae in emendandis his locis proferunt, nimium

huic symmetriae generi tribuunt momenti. Studium enim aequabilitatis et concinnitatis apud veteres cum in omnibus operibus tum in componendis poematis quantumcunque fuit, vix tamen credi potest eo perversitatis processisse eos, ut nulla sententiarum ratione habita id tantum egerint, ut alternantium versus quam plurimi sese exciperent. In libris autem veterum nihil de tanta severitate huius „legis“ legimus, et ipse Pollux, quo tamquam luculento sibi videntur uti auctore, nihil de lege tam severa dicit, quae in fabulis servata sit. Pollux loco supra laudato enumerat tantum, ad quae histriones fabulam acturi parati esse debeant, dicit „*τὸ ὑποκρίνασθαι τὰ ἰαμβεῖα, διαθέσθαι, σχηματίσασθαι, ὑποχρήσασθαι — μορφάσαι, ὑποχρίσασθαι καὶ τὰ ὅμοια· στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ᾽ ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν, καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν*“. Pollux igitur nihil testatur de lege quadam severa, qua praescriptum sit, si quando personae singulis versibus colloqui coeperint, ne plures versus usurpent, sed factum esse testatur, ut interdum actores singulis versibus in scaena sint collocuti, ad quod officium bene praestandum histriones dicit praeparatos esse debere. Atque profecto id potuit esse singulare officium histrionis, ut versus singulos recte recitaret, quippe qui per Sophoclem et Euripidem usitatissimi facti essent. Itaque legem illam stichomythiae, qua versus iusto plures statim eiiciendos aut lacunam inter eos ponendam statuamus, nullo prorsus fundamento niti probasse mihi videor. Quid igitur? legem ullam in stichomythia servandam esse negamus? Minime gentium. Iam supra diximus in fabulis multa esse, quae studium aut consilium probent, itaque dubitatio haberi non potest, quin id curarit poeta, ne, si personas versibus singulis colloquentes fecisset, hanc aequabilitatem excederet, ut character specialis totius dialogi servaretur: itaque et recte et pulcre inter viros doctos „de lege stichomythiae“ sermo est, qua in componendis id genus dialogis usi fuerint poetae. Neque tamen re ipsa evidens neque ab ullo veterum traditum est, neque fabulis ipsis probatur, nunquam et ne gravissimis quidem ex

caussis licere in partibus stichomythicis alteri personae plures versus loqui: immo exstant exempla, fecisse poetam personas pluribus versibus colloquentes, et iure quidem poeta sententiarum necessitate coactus interdum hanc stichomythiae normam reliquit, cum character specialis dialogi stichomythici profecto non ita laederetur, ut percipi non posset.

Prolatis iis, quae de lege stichomythiae statuenda et tenenda sentiamus, iam accingamur ad locos omnes illos accurate examinandos, ubi violari ea lex apud Euripidem videatur. Et primum quidem inquirendum nobis est, num genuini sint necne; nonnullis enim locis plures continuos versus, quos libri et codices exhibent, non a poeta ipso profectos esse videbimus, sed aut de versu eiiciendo aut de lacuna statuenda recte judicandum. Si autem dubitari non posse demonstravimus, quin versus illi continui a poeta ipso sint scripti, caussae indagandae sunt, quibus adduci potuisset poeta, ut uni vel alteri personae plures versus tribueret. Quodsi fecerimus et caussas perspexerimus, quibus, ut ab ordine stichomythico recederet, permotus sit Euripides, attulisse nos aliquid speramus ad solvendam illam philologorum quaestionem, quas rationes in componendis stichomythiis poeta ille *τραγικώτατος* observaverit.

Quibus in conscribenda hac commentatione usus sim auxiliis suis locis indicavi. In numeris notandis secutus sum Euripidis editionem Kirchhoffianam.

Alcest. 819 sqq.

Colloquium exstat inter Herculem et servum Admeti: Hercules in domo Admeti haud humano modo edens et bibens eaque de re a servo ob luctuosissimum domus funus correptus sciscitatur de servo, quisnam mortuus sit. Singulis versibus inde a v. 819 rite colloquio facto, in media stichomythiae parte v. 829 haec in editionibus leguntur

ΘΕ. *οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις* 829
πένθος γὰρ ἡμῖν ἐστι· καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. *ΗΡ.* *τίς δ᾽ ὁ κατθανών;*
μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον ἢ πατὴρ γέρων;

Codices omnes v. 380 et 831 eisdem verbis exhibent, de v. 832 vero in alio alia legimus. In Vaticano „*μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον γένος ἢ πατὴρ γέρων*,“ sed *γένος* a manu recentiore calamo deletum; Palatinus et Florentinus eadem habent verba, ut Vaticanus, et *γένος* aeque deletum, sed *τὶ φροῦδον* correctum in *τὶς φροῦδος*. Kirchhoffius (Adnot. crit. ad Alcest.) scriptum fuisse coniecit: „*μῶν ἢ γένους τι φροῦδον ἢ γέρων πατήρ*,“ *τέκνων* interpretatoris manu super „*γένους*“ primum positum dicit, deinde cum verbis ipsis permixtum esse. Sed quidquid de v. 832 statuendum est, hunc versum et praecedentes duos eiiciendos esse puto, non solum, quia stichomythiae symmetriam laedant,*) sed etiam quia sententiarum nexum male perturbent. Iam cum Hercules in domum Admeti introisset, Admetus ipse et servus**) ei occurrerunt deformes vestimentis et signis luctum indicantibus v. 525; quaerenti ei, quid sit de *κουρᾷ* (528. 529.) et quo luctu premantur, respondet Admetus, funeraturos se esse corpus hominis amatissimi. Et ex huius ipsius stichomythiae prioribus versibus (822. 826.) elucet, Herculi luctum domesticum notum esse. Superfluum igitur, immo non ferendum, quod vv. 830. 831. iterum servus de luctu, de crinibus curtis, de vestimentis nigris Herculem tamquam inscium docet. Versibus dein 831. et 832. Hercules servum interrogat, quisnam mortuus sit, utrum sit pater senex Admeti an unus ex liberis eius; et hoc nec pulcre nec recte. Nam iam supra v. 531. Hercules ex Admeto audivit, nec liberorum quemquam, nec patrem senem mortuum esse. Jure igitur vv. 830. 831. 832. in interpolationis suspitionem a nobis vocatos esse, nemo est qui non videat; accedit quod in nonnullis codi-

---

*) Hanc tantum rationem Kirchhoffius adfert dicens (Adnot. crit. ad Alcest.): lacunae explendae causa ab interpolatore olim esse additos stichomythiae ratio evincit satis aperta.

**) De servo praesente qui dubitat animadvertat v. 563, ubi Admetus servum adloquitur eique mandat, ut Herculem hospitio excipiat.

cibus hi versus non exstiterunt, teste Schol. Vat. „ταῦτα δὲ τὰ τρία (sc. ἰαμβεῖα) ἔν τισιν οὐκ ἔγκειται". Interpolatorem, quisquis fuit, hominem rudem increpantes nemo profecto nimiae severitatis nos arguet; nam et superioris dialogi (525 sqq.) omnis ei evanuit memoria et ipsius huius stichomythiae sententiae quomodo cohaereant plane non vidit,*) nedum stichomythiae symmetriam aut servandam animadverterit aut ullam esse intellexerit. Ceterum laudandus in eo est, quod in componendis versibus Euripideorum verborum copia bene usus fuit, nam κουρὰ et μελάμπεπλοι στολμοὶ saepissime in fabb. Alcest., Hel., Iph. Aul. et cett. nobis occurrunt, κατθανών supra in Alcest. v. 543., φροῦδον saepissime apud Euripidem et ceteros poetas tragicos, cf. Eurip. Jon. 866., Soph. Philoct. 557., Aesch. Hiket. 843. — Sed locus nondum sanatus; eiectis enim tribus his versibus symmetria externa iterum laesa videtur, cum servus duos loquatur versus:

ΘΕ. οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις·
γυνὴ μὲν οὖν ὄλωλεν Ἀδμήτου, ξένε.

Cum caussa nulla perspici possit, qua permotus a stichomythiae lege servanda poeta recesserit, immo cum repugnet servum Herculi sciscitanti aegre respondentem statim pleno ore luctum domesticum enuntiare, cum denique in sententiis quaedam desiderentur ut omnia plana fiant atque polita: de lacuna inter versus illos nobis iudicandum est, cuius resarciendae causa iam interpolator versus illos composuit, sed infortunio suo correptus et nimios et malos. Temptaturis nobis, ut huic vulneri medeamur, faustior adsit fortuna. Admetus supra vv. 531 sqq. Herculi de funere interroganti clare aperuit, de liberis mortuis aut de patre se non lugere: sed de Alcestide uxore, num ea mortua esset, non clare et aperte locutus est (v. 537.), de funere tantum declaravit, foeminam eam esse peregrinam quidem, sed valde amatam (v. 549.). Alter-

---

*) cf. infra

catione ob nimiam hilaritatem inter servum et Herculem exorta, cum servo querenti Hercules responderit, peregrinam quidem esse feminam mortuam minimeque domui adnexam, servus primum monet non nosse eum, quo malo domus prematur,

. . . . . οὐ κάτοισθα τἂν δόμοις κακὰ,

dein Hercule iterum „ὀθνεῖον νεκρὸν“ proferente apertius dicit, minime peregrinam esse feminam, sed valde domui adligatam (λίαν ὀκνεῖος): quid aptius, quam ut Hercules servum ad perspiciendam rem obscurius usque locutum interroget: quaenam femina illa fuit, ‚de qua mortua omnes dolore tabescitis? Euripides non dubitandum quin post v. 829:

ΘΕ. οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις

versum Herculis posuerit eam sententiam, quam modo attulimus, complectentem, ad quem aptissime accedit v. 830:

ΘΕ. γυνὴ μὲν οὖν ὄλωλεν Ἀδμήτου, ξένε —

Eiusdem fab. vv. 1079 sqq.

Laedi videtur stichomythia v. 1122 et 1139 pluribus versibus Heraclis et Admeti. Sed si accuratius inspicimus, non de laesione nobis iudicandum erit, sed tres esse stichomythias videbimus vv. 1122 sq. et 1139 sq. seiunctas. Vv. 1079—1120 Hercules magnam operam impendens Admetum eo adducit, ut feminam velato capite adstantem manu apprehendat; quo facto Hercules pluribus (vv. 1123 sqq.) laudat Admetum eique mandat, ut bene feminam custodiat. Verbis deinde βλέψον πρὸς αὐτὴν κτλ. ea quae secunda stichomythia tractata sequuntur indicat poeta. In sequenti enim stichomythia inde a v. 1129—1135 Hercules Admeto dubitanti et stupenti persuadet, feminam illam manu prehensam uxorem ipsius esse, quam modo sepelierit. Versibus dein continuis 1106 sq. et 1139 sq. Admetum poeta facit de insperata salute summo gaudio exsultantem et Herculi gratias agentem, quod uxorem amatissimam sibi reddiderit. In III. denique stichomythia (1141—1145) Hercules Admeto sciscitanti nuntiat, quo modo uxorem mortuam ex inferis reduxerit.

Bakch. 637 sqq.

In libris vv. 642. et 643. Pentheo tribuuntur continui

ΠΕ. *ὠνείδισας δὴ τοῦτο Διονύσῳ καλόν,*
κλῄειν κελεύω πάντα πύργον ἐν κύκλῳ.

Codd., qui hanc fabulam continent, Palatinus et Florentinus, in versibus distribuendis non consentiunt. Palatinus exhibet vv. hunc in modum tributos: Bakcho vv. 641. 43. 45. Pentheo vv. 642. 44. 46.; Florentinus Bakcho vv. 641. 44. 46. tribuit, Pentheo vv. 642. 43. 45. Id, quod Palatinus habet, propter ineptissimam sententiam inde exortam ad calami errorem revocandum esse, nemo est, qui non videat; Florentini versuum distributio aperte sola rebus apta indeque ab omnibus libris recepta. Quum igitur codicibus laesio probetur, iam quaeritur, num causa adsit, qua permotus Euripides hoc loco ab ordine stichomythico servando recessisse videatur. Causa nulla quaesita Dobraeus et Hermannus sola stichomythiae lege confisi inter v. 642. et 43. excidisse versum, qui fuerit Bakchi, statuerunt, non tamen addiderunt quid ab Euripide scriptum fuisse suspicati sint; quod quidem Fr. Fritze proprio Marte in „versione sua germana fabularum Euripidearum" est conatus. In adnotationibus, quas fabulis translatis adjecit, haec fere de hoc loco profert. „Quum Pentheum," inquit, timentem versus 643. doceat, ne ὁ ξένος ab alio quoquam adiuvetur, versu priori Bakchus tale quid indicarit necesse est"; poetam scripsisse suspicatur: „ipse Bakchus protector meus est, qui et nunc quidem me eripiet". Viris doctis adsentiri non possumus, ut de lacuna hoc loco iudicandum esse arbitremur. In sententiis nihil est vituperandum; nam v. 641. Pentheus iam ab adversario suo audierat, Dionyso auxiliante factum esse, ut a vinculis sit liberatus:*) nihil adhuc desideratur, ut v. 643. aptius accedat. Immo, si sententiarum nexum accuratius inspicimus, non ferendum esse persuasum nobis erit, verba Bakchi quaecunque inter

*) Pentheum recte ita verba Bakchi v. 641. intellexisse, versus 642. docet.

v. 642. et 643. poni. Pentheus Bakchum carcere includi iussit, qui magno terrae motu exorto inde evasit; frustra dein Pentheus Bakchi imaginem aëre fictam gladio persecutus in aulam domus defessis membris venit ibique *τὸν ξενον* vinculis solutum conspicit. Pentheus iratus statim interrogat, quis e custodia firmissima eum eripuerit, et quum Dionysum ipsum auxilio venisse audierit, quid aptius quam ut rex maiore incensus ira in nomen Dionysi acerbe invectus portas statim claudi iubeat? Versu interposito vis huius loci tota sane infringitur. Quidquid autem est, quod saepissime Euripidem artem magis respexisse quam sententias viri docti confirmant, adeo poetam illum *τραγικώτατον* hoc loco naturam humanam ignorasse, ut hominem summa ira inflammatum iisdem versibus singulis, quibus antea, concludi a se bene posse censuerit, plane persuadere mihi non possum.

Eiusdem fab. 792 sqq.

Stichomythia inter Pentheum et Bakchum perturbatur vv. 832. et 833., qui in libris Penthei sunt:

ΠΕ. πᾶν κρεῖσσον ὥςτε μὴ ᾿γγελᾶν Βάκχας ἐμοί.
ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι

Codex unus Palatinus inspiciendus datus est, nam Florentinus huius fabulae versus usque ad v. 745. tantum tradit. Palatinus versus ita tributos habet, ut v. 833. nuntii sit, 834. Penthei, 835. et 836. nuntii. Qua versuum distributione locus fortasse sanatus videtur, quum nuntio v. 833. loquente stichomythia inter Pentheum et Bakchum iam v. 832. finita sit. Sed nemo non videt, vv. 833. 835. 36. a nuntio ineptissime dici. Recte Heathius vv. tribuit Pentheo 832. 833., Bakcho 834., Pentheo 835 et 836, quem omnes fere huius fabulae editores sunt secuti. Quid igitur de laesione statuendum? Versusne eiiciendus, an lacuna notanda, an quo modo vulneri huic medendum erit? Varia temptarunt viri docti. Heilandius*) duos illos versus de-

*) in program. Gymn. Stendal. a. 1855.

fendit iuste eos dicens ab Euripide positos esse, quum v. 832 ad priorem sententiam spectet et v. 833 referatur ad ea, quae sequantur. Schoene item versus eos tenendos esse iudicans aliam adfert causam, cur poeta hoc loco numerum versuum excesserit. Euripidem dicit inde a v. 831 stichomythicam symmetriam (1 : 1) deseruisse, ut in fine huius dialogi alia quaedam symmetria poneretur, ita ut sit versuum ratio 1 : 2. Ad quam sententiam probandam adfert Jon. 1436 sqq. et Electr. 670 sqq., ubi eandem versuum distributionem inveniri adfirmat. Priusquam, quid nobis de difficili hoc loco videatur proferamus, de utraque sententia videndum est. Heilandius profecto causam nimis levem adtulit, quam ut ob eam credibile sit stichomythicam symmetriam poetam laesisse. Nam si tantum ei tribuere musmomenti, ut ob ipsam iuste plures versus ponerentur, saepissime ordinem stichomythiae infringere poetae licuisset. In iis, quae alter v. d. adtulit, facilius acquiesci posse fortasse videatur, quum revera exstent exempla, Euripidem dereliquisse stichomythiae symmetriam ut induceret aliam. Sed hoc loco id voluisse poetam ne censeamus adducimur, quod v. 833 male cohaeret cum v. 832, itaque, non potuisse Euripidem continuos eos versus Pentheo tribuere plane nobis persuasum est. Ut v. 833 versui 832 adiungatur, particula adversativa desideratur et necesse est scribatur *ἐλθὼν δ' ἐς οἴκους κτλ.* Pentheus enim, qui v. 832 paratum se esse dicit ad omnia potius praestanda, dummodo ne a bakchantibus subsannetur, v. 833 non eundem ostendit animum, sed a priori consilio aperte recedens ad hanc rem deliberandam domum potius intrari instat. Quum igitur in neutrius sententiam discedi posse intellexeris, quid nobis ad enodandam hanc difficultatem statuendum videatur audias. Excidisse arbitramur post v. 832 versum, qui fuerit Bakchi. *Ὁ ξένος* Pentheum docuit, quomodo fieri posset, ut bakchantum turbam in Cithaerone monte poenae securus oculis cerneret: muliebribus indutis vestibus capillos longos capiti aptandos esse dixit, humeris vellus cervinum circum-

ponendum, thyrsum manibus tenendum. Pentheo muliebres vestes acerrime primum respuenti *ὁ ξένος* aut iis indui aut subsannari atque caede miserrima a bakchantibus se puniri patiendum ei esse adfirmat, cui tandem Pentheus: *πᾶν κρεῖσσον ὥςτε μὴ 'γγελᾶν Βάκχας ἐμοί.* Faustis his verbis prolatis, quid aptius quam ut *ὁ ξένος* ea prosecutus statim regem adloquatur: „certum igitur tuum consilium est, ut tali ornamento indutus in Cithaeronem montem mecum ascendas?" Qua interrogatione audita Pentheus clare demum perspiciens, quid istis verbis promiserit, labefactatur et in dubia pristina reiectus se domum intrare et rem acrius perpendere velle dicit

ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι *)

Sic omnia recte se habent. Pentheum haesitantem aperte ostendunt et v. 835 sq. . . . *ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι ἢ τοῖσι σοῖσι πείθομαι βουλεύμασιν.* Sic enim legendum est et non cum Nauckio**) mutandum

835. *ΠΕ.* στείχοιμ' ἄν. ἢ γὰρ ὅπλ' ***) ἔχων πορεύσομαι;
834. *ΔΙ.* ἔξεστι· πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐπρεπὲς πάρα.
836. *ΠΕ.* εὖ· τοῖσι σοῖσι πείθομαι βουλεύμασιν.

Apertum, quo consilio v. d. ad permutanda sic verba tradita ductus sit. Ineptum arbitratus, quod Pentheus dubitans de scaena recedat, quum paullo post (v. 911) vestibus muliebribus indutus in scaena appareat, id egit v. d., ut *τῷ ξένῳ* adnuentem eum ultimis versibus faceret. Sed haud scio an Pentheum Bakcho in recessu assentientem non recte faciamus: versus, qui sequuntur, intelligi non possunt, nisi Pentheum dubitantem de scaena recessisse ponamus. Chorus enim enixe precatur Bakchum deum, ut veniens perturbet mentem Penthei, nam sana mente, ut vestes muliebres induat, nunquam eum animum inducturum esse dicit,

---

*) Quum codices ἐλθόντ' ἐς οἴκους κτλ. exhibeant, nonnulli huius fabulae editores probabiliter scripserunt ἐλθὼν γ' ἐς οἴκους κτλ.

**) Nauckius in adnotat. crit. ad Bakch. XLVIII.

***) „ὅπλα" suspectum dicit, quum sententiarum nexui aptari non possit.

Διόνυσε, νῦν σὸν ἔργον · οὐ γὰρ εἶ πρόσω·
τισώμεθ᾽ αὐτόν: πρῶτα δ᾽ ἔκστησον φρενῶν
ἐνεὶς ἐλάφραν λύσσαν · ὡς φρονῶν μὲν εὖ
οὐ μὴ θελήσῃ θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
ἔξω δ᾽ ἐλαύνων τοῦ φρονεῖν ἐνδύσεται

Est et naturae artis tragicae aptissimum, Pentheum adhuc dubitantum de scaena recedere. Quum enim viderint eum spectatores adhuc in neutram partem prolixum, modo spe moventur fore ut in verbis Bakchi non acquiescat itaque e periculo liberetur, modo timore anguntur ne forte a deo mente captus in montem ascendat choros bakchantum visurus et morte pessima pereat. Et videas quaeso artem poetae, qualis hoc loco sit in commovendis utroque affectu animis. Recedente Pentheo de scaena (836) animi inter spem metumque, ut dixi, fluctuant, verba Bakchi (837 sqq.) nondum aliquid certi afferunt itaque utroque adhuc affectu animi aeque agitantur; chori demum canticum (852 sq.) praesagium affert eorum quae sint ventura, v. 905 denique spectatores Pentheum ipsum vestibus muliebribus indutum in scaena aspiciunt et funestissimas illas regi fore scientes summo moventur dolore. Codicem Palatinum si deniqne inspicimus, ea quae Nauckius coniecerit parum firmo fundamento niti quivis facile intelliget. Verborum „correctorum" nullum traditum est nisi ἦ et πείθομαι, sed quam facile ἢ et ἦ, πείσομαι et πείθομαι mutari potuerint, est in promptu; voculam εὖ et totam versuum transpositionem finxit ipse v. d.

Eiusd. fab. 1252 sqq.

Agaue a Kadmo interrogata, num mens ipsius adhuc insania quateretur, in codice duobus his versibus (1269—70) respondet

οὐκ οἶδα τοὖπος τοῦτο, γίγνομαι δέ πως
ἔννους μετασταθεῖσα τῶν πάρος φρενῶν.

Diversis diversa visa sunt, quibus huic loco mederentur. Nauckius (adnot. crit. ad Bakch. XLIX.) dicit: „post v. 1258 versus verba Cadmi referens intercidisse videtur".

Heilandius (l. l.) item de lacuna iudicans addit, aptissime Agauen suum ipsius sermonem interrumpere sententiamque integram non proferre, quum mens eius nondum ab insania soluta sit; interruptis his Agauae verbis Kadmum permotum esse, ut denuo alia interrogatione eam interpellaret. Verba ipsa non coniecit Heilandius, et sane difficile cogitatu, quid Kadmus versu illo dixerit, nisi eum eadem quae v. 1257 protulit dicentem faciamus. Est et altera magna difficultas lacunam hoc loco dispicientibus particip. *μεταστα𝜗εῖσα* nullo prorsus modo aptandi. — Kirchhoffius (adnot. crit. ad Bakch.) versum 1259 in interpolationis suspitionem vocat itaque stichomythiae huius laesionem tollit, cuius sententiam cur amplectendam esse censeamus haec sunt.

Quod primum quidem v. d. de „stichomythia turbata“ attulit, non satis causae esse arbitramur, quare v. 1259 damnemus. Sed sententiarum nexum v. 1259 turbari apertum. Kadmus exploraturus num Agauae mens adhuc insania turbetur, primum de corporis sensibus eam interrogat, num clare et distincte iam res cernat (1253–56); quum aërem clarum et dilucidum se videre Agaue dicat, (Bakcho) non iam — furentem eam credit. At interroganti ei, num revera mentem collegerit (v. 1257), quum non plane se intelligere, quid velit, Agaue respondeat (v. 1258), mentem non satis rediisse videt et nonnullas res Agauae notissimas ex ea quaerit, ut mentis tenebras paullatim dispergat et quid sceleris patrarit ei suggerat. Agauen ad audiendum et respondendum paratam se professam Kadmus primum interrogat, quis sit vir cui nupta (1262), quis puer quem ei pepererit (1264). Vera ad haec Agaue respondet, sed quum dein Kadmus cruentum victoriae signum, quod manibus teneat, inquirat, iterum ostenditur, quam aegre insania a mente discedat: v. 1267 respondet enim Agaue leonis caput manibus se tenere, addens quidem *ὥς γ᾽ ἔφασκον αἱ 𝜗ηρώμεναι*; accuratius demum Kadmo instante inspiciens filii carissimi caput agnoscit. Quum igitur Agauen gradatim et pedetentim resipiscentem facere

maluerit poeta, quivis facile intelliget inepte iam initio stichomythiae eam dicere „ἔννους μετασταθεῖσα τῶν πάρος φρενῶν,“ praesertim quum versus proxime praecedens Agauen nondum a Bakcho liberatam ostendat. Sed adhuc laborat locus. Versu enim 1259. deleto sententiam integram non complectitur v. 1258.

οὐκ οἶδα τοὔπος τοῦτο, γίγνομαι δέ πως

Kirchhoffius pro γίγνομαι δέ πως scripsit: γιγνώσκω δέ πως ita ut sit: „non plane intelligo verba tua, sed quid sibi velint, quodam modo sentio“. Valde probabile, quum versus sequentes sic aptissime adiungantur. Agaue enim, quum verbis γιγνώσκω δέ πως non iam a Bakcho prorsus turbatam se praebeat, Kadmo suggerit spem fore ut paullatim mens recedat, qua spe quidem permotus Kadmus examen illud cum Agaue instituit. —

Turbatur iterum stichomythia v. 1289 et 1290, quos versus, ut codex exhibet, Agaue continuos loquitur

ἦ πᾶν ἐν ἄρθροις συγκεκλῃμένον καλῶς;
Πενθεῖ δὲ τί μέρος ἀφροσύνης προςῆκ' ἐμῆς;

Versum, qui Kadmi fuerit, post v. 1289 intercidisse in controversiam vocari non potest, et monuit iam de lacuna hoc loco statuenda Victorius. Non, puto, negandum versu illo, qui interiit, Kadmum ad verba Agauae responsum dedisse et Agauen ad acrius inquirendum incitasse. Quum igitur v. 1290 ad verba Kadmi respiciat, hic versus et ipsa verba Agauae, quae praecedunt, magni sunt momenti ad coniiciendam sententiam, quam v. p. complexus est. Quod Theod. Kockius in versione sua germana fabb. Euripidearum suspicatus est ab Euripide scriptum fuisse: „Vos ipsae eum (Pentheum) in frusta dissecuistis, dei inimicum,“ et mihi satis verisimile videtur, sic quidem sententiae omnes conveniunt altera ad alteram.

Helenae 701 sqq.

Codex Florentinus, qui unus hanc fabulam continet, v. 703 et 704 Menelao, 705. 706 nuntio tribuit

ΜΕ. οὐχ ἥδε, πρὸς θεῶν δ᾽ ἦμεν ἠπατημένοι, 703
νεφέλης ἄγαλμ᾽ ἔχοντες ἐν χεροῖν λυγρόν.
ΑΓ. τί φής;
νεφέλης ἄρ᾽ ἄλλως εἴχομεν πόνους πέρι;

Nauckius (adnot. crit. ad Hel. LIII.) excidisse post v. 703 versum, qui fuerit nuntii, arbitratur, et voculas τί φής valde suspectas denotans ita legi stichomythiae optime providisse sibi videtur. Cur de lacuna statuenda censeat et cur in voculis τί φής offensio sibi sit non attulit, quae ratio medendi solitam v. d. considerantiam artemque subtilem sane non redolet. Kirchhoffius, ut ordo stichomythicus restituatur, versibus 704 et 705 interpolationis inussit notam, de quibus in adnotat. crit. ad Hel. haec: „interpretis additamentum stichomythiae ratio arguit". At laesio symmetriae stichomythicae, iterum iterumque dico, per se non certum exhibet argumentum, locum esse corruptum: accedant necesse est aliae causae, ut de corruptione iuste iudicari possit. Turbatam si vidimus stichomythiam recte miramur et obstupescimus, sed huic admirationi non statim iudicium de lacuna aut de interpolatione adiungendum; admiratio (ut in philosophia) initium sane est artis criticae, ad acrius enim indagandum nos impellit, ut certum de difficili aliquo loco iudicium acquiramus. Quod quidem interpretis additamento versus illos inlatos esse v. d. dicit, cur adprobemus haec sunt. Nuntius supra (v. 606 sqq.) Menelaum certiorem fecit, uxorem quam antro custodiendam ipsis tradidisset, in aerem evolasse; invenit Menelaum colloquentem cum muliere, quam uxori eius simillimam videt, audit ipsos laetantes (v. 628), quod tot annis interiectis tandem sese videant, audit prae ceteris (682) Helenam, quam in Troiam raptam duxerit Paris, εἴδωλον tantum fuisse. Intercedenti deinde ei (v. 701) inter colloquentes Menelaum et Helenam, ut particeps fiat et colloquii et gaudii, satis profecto verba Menelai (703) „haec non fuit causa malorum, quae passi sumus ad Ilion, πρὸς θεῶν δ᾽ ἦμεν ἠπατημένοι" suggerunt, ut statim de praeteritis iudicans dicere queat

νεφέλης ἄρ' ἄλλως εἴχομεν πόνους πέρι;

De interpolatoris voluntate dubitari non potest: oblitus prorsus eorum, quae antea facta sunt et dicta, obstupefactus est, nuntium post verba Menelai, „οὐχ ἥδε κτλ." statim de imagine inani cogitare, itaque ut aptius v. 706 cum 703 coniungeretur, vv. 704. 705 interposuit.

Eiusdem fab. 777 sqq.

Stichomythia quae est inter Menelaum et Helenam iam ipso exordio turbatur duobus versibus Helenae 779 sq.

ΕΛ. φεῦγ' ὡς τάχιστα τῆσδ' ἀπαλλαχθεὶς χθονός,
θανῇ πρὸς ἀνδρὸς οὗ τάδ' ἐστὶ δώματα

Codex Florentinus qui unus hanc fabulam continet nullum exhibet signum, cui locum hunc difficillimum interpretaturi inhaereamus. Viri docti omnes de interpolatione cogitaverunt, sed in versu notho non conveniunt modo v. 779 modo v. 780 utpote a poeta non profectum condemnantes. Valckenaerius in priorem versum acerrime invectus translatum eum esse dicit ex Phoenissarum fabula (v. 975).*) Celerius v. d. de hoc versu eiiciendo iudicasse Firnhaberus in „Zeitschrift für Alterthumswissenschaft" 1841 Nr. 111 et 112 strenue demonstravit, ubi haec fere: Si causam, dicit, adprobaremus, qua Valckenaerius versum 779 eiiciendum censet, et praecedens Menelai versus

πῶς φής; τί λέξεις; ὥς μ' ἀπώλεσας, γύναι;

delendus nobis esset, nam et Med. 1299 invenimus

οἴμοι, τί λέξεις, ὥς μ' ἀπώλεσας, γύναι;

et Hipp. 354: *οἴμοι, τί λέξεις, τέκνον, ὥς μ' ἀπώλεσας;* Saepissime in fabulis Euripidis accidere posse, ut necesse sit fugam celerrimam hortetur poeta, itaque iteratam hanc admonitionem non magis increpandam esse, quam sequentem

ὦ τέκνον, ἔξελθ' Ἑρμιόνη δόμων πάρος. (Or. 112.)

quae et Phoen. 1271 legatur

---

*) Phoen. 975 Kreon iisdem verbis Menoikum filium admonet ut oraculi effugiat infortunium.

τέκνον, ἔξελθ' Ἀντιγόνη δόμων πάρος.

Eadem verba legi Iph. A. 985, quae Electr. 671

οἴκτειρε δ' ἡμᾶς· οἰκτρὰ γὰρ πεπόνθαμεν (Iph. A.)
οἴκτειρε θ' ἡμᾶς· οἴκτρα γὰρ πεπόνθαμεν (Electr.)

et fere eadem Iph. Aul. 1433, quae Med. 909

μῆτερ τί σιγῇ δακρύοις τέγγεις κόρας; (Iph. A.)
αὕτη, τί χλωροῖς δακρύοις τέγγεις κόρας;*) (Med.)

Alia sunt, quibus Hermannus adductum se dicit, ut v. 779 delendum censeat. Ineptum esse profert, quod Helena Menelaum interroget, quid ipsi in itinere acciderit, et tunc ut quam celerrime fugiat exhortetur; quum in tanto discrimine versetur maritus, statim ab uxore ut fugiat debere eum impelli. Praeterea priusquam ad fugam Menelaum hortetur Helena, causas ei afferendas esse dicit, quare fugiat maritus necesse esse putet. Acrius quam verius Hermannum in hunc Helenae versum disputasse iam idem Firnhaberus l. l. ostendit. Potuit sane poeta Helenam ex marito primum itineris fortunas quaerentem facere. Nam Helena viso Menelao gaudio exsultans prorsus oblivisci videtur primis quidem momentis angustiarum, quibus premebatur, narratque (v. 669 sq.) marito, quas ad id usque tempus passa sit fortunas. Plangentes acerba haec infortunia interrumpit aliquantulum (699 sq.) nuntius, quo remisso (756) uxor apte ex Menelao quaerit (761), quid ipsi temporis spatio praeterito acciderit. Certior facta (764 sq.) quot annis maritus per maria ventis aliisque infortuniis sit agitatus, plangit eum et gaudet simul quod sit ex periculis ereptus, at statim recordata, nunc eum in maiori discrimine versari (v. 777.), quum praeter opinionem sospes maxime invisus sit Theoclymeni regi, qui matrimonio cum ipsa copulari iamdudum summopere studuerit, aptissime quidem maritum impellit v. 779. *φεῦγ' ὡς τάχιστα τῆσδ' ἀπαλλαχθεὶς χθονός.* Quod dein vir doctissimus necessarium dicit, Helenam priusquam ad

*) Plura exempla verborum repetitorum Firnhaberus adfert in „Verdächtigungen etc." p. 41. 196.

fugam hortetur, causas debere ostendere, cur sit fugiendum, idem Firnhaberus l. l. facete confutavit de gustibus dicens non esse disputandum, alium praemittere causas precibus, postponere alium. Fatendum sane v. d. praeceptum illud edentem artem magis logicam respexisse, quae syllogismum secundum inconcussas leges veterum componendum docet, quam poetae artem; ferendum non esset, si Helenam poeta prius causas maiores et minores in suo quamque loco bene collocatas afferentem fecisset, et dein ad celerrimam fugam maritum hortantem: uxor, ubi periculi marito imminentis recordata est, statim debet Menelaum impellere: *φεῦγ' ὡς τάχιστα κτλ.*, quod quidem poetam, qui prae ceteris nomine *τραγικωτάτου* insignitus est, omnino decet. Nimis infausta et Valckenaerius et Hermannus v. 779 delentes fortuna usos esse, v. 801 denique exhibet argumentum; ibi Helena marito: *μὴ νῦν καταιδοῦ, φεῦγε δ' ἐκ τῆςδε χθονὸς,*"*) quibus verbis aperte docemur, iam supra aliquando Menelaum ab uxore admonitum fuisse ut fugeret.

Quid igitur? num statuemus hoc loco duos versus continuos Helenam recte esse locutam? Minime, sed nos in ea sumus sententia, ut v. 780 delendum censeamus. Cur hunc versum a poeta scriptum esse persuadere nobis non possimus, haec sunt. Si Helena verbis suis, quibus Menelaum ad fugam hortatur, addidisset (v. 780) „*θανῇ πρὸς ἀνδρὸς, οὗ τάδ' ἐστὶ δώματα,*" non posset causa v. 782 (*ἥκεις ἄελπτος ἐμποδὼν ἐμοῖς γάμοις*) allata Menelaus generatim interrogare: „est alicui in animo uxorem meam sibi arripere?": (*ἦ γὰρ γαμεῖν τις τἄμ' ἐβουλήθη λέχη;*), sed interrogandum ipsi esset specialiter de domino domus illius. Dein si iam dominum illum caedem sibi minitari percepisset, ineptissimum sane esset id, quod v. 785 quaerit „*ἰδίᾳ σθένων τις ἢ τυραννεύων χθονός*"; nam ex ancilla iam supra audivit, dominum domus principem

*) Dindorfius pro *νῦν* male scripsit *νυν*.

esse regionis illius te Helenam in domo eius esse; nullo igitur modo interrogantem eum facere posset poeta, num homo privatus sit, qui uxorem suam petat, sed ubi Helena marito patefecit ipsum a domino domus morte affectum iri, quum impediret quominus ille matrimonio cum ipsa coniungeretur, statim Menelaus de principe copulam cum Helena petente cogitare debebat et ceteris omissis apte verba v. 787 illico post 782 proferre *τόδ᾽ ἔστ᾽ ἐκεῖν᾽ αἴνιγμ᾽ ὃ προςπόλου κλύω.* Ne ergo vv. 783—786 ineptissimos ponamus, v. 780 delendus est.

Eiusdem fab. vv. 1194 sqq.

Stichomythia inter Theoclymenem regem et Helenam inde a v. 1197 versibus laeditur:

> *ΘΕ.* *οὐδέν τι χαίρω(ν) σοῖς λόγοις τάδ᾽ εὐτυχῶ.*
> *πῶς οἶσθα; μῶν σοι Θεονόη λέγει τάδε;*

Hermannus post v. 1197 versum qui fuerit Helenae excidisse dicit. Causas, quare hunc quidem modum huic loco medendi praesumpserit, non affert, neque nos videmus, cur hoc loco de lacuna nobis cogitandum sit, quum in sententiis nihil sit desiderandum. Cum Nauckio*) v. 1197 potius ir suspitionem vocantes optime huius stichomythiae symmetriam externam restituere nobis videmur. Sunt quidem, qui v. 1197 retinendum putent. Theoclymenem dicunt v. *οὐδέν τι χαίρω(ν) σοῖς λόγοις τάδ᾽ εὐτυχῶ* apte simulare moerentem se mortuum Helenae maritum, priusquam interroget, unde sciat Helena eum mortuum; verba *τάδ᾽ εὐτυχῶ***) submissa voce ad semet ipsum dixisse; ferri non posse, Theoclymenem, ubi audierit de morte Menelai, statim ex nuntio quaerere, ut si res firmo nitatur fundamento intelligat. Versum 1202 „*τίς ἐστιν; ποῦ ᾽στιν; ἵνα σαφέστερον μάθω,*“ qui multo profecto alium Theo-

*) Nauckius, adnot. crit. ad Hel. LIV. versum dicit suspectum.
**) Ita coniecit Heathius.

clymenis animum esse ostendit non ita quidem humanum sed ut rem nuntiatam veram audiat avidissimum, haud magni momenti esse adfirmant, quum, ut multi alii versus,*) ab Euripide scriptum eo consilio sit, ut versus alterius personae colloquentis interrumperet ne unus stichomythiae versus excederetur. Quam inani fundamento illi usi sint probaturos nos ab iis quae ultima protulerunt initium capere iuvat. v. 1202 minime aeque censensus est ac ii qui ad servandum stichomythiam interpositi esse haud obscure videntur superflui illi quidem immo saepe ineptissimi. Quum enim Theoclymeni interroganti, num quis venerit qui mortuum eum (Men.) esse certe nuntiaverit, Helena responderit „venit quidem sed ivit, quo ut iret optabam“: quid aptius quam ut videre eum et interrogare cupiat dicatque „*τίς ἐστι; ποῦ᾽στιν; κτλ.*“. Sane igitur versus illi non superflui, immo sententiis arctissime iuncti quique optime significent eam, qua in Helenam Theoclymenes ardebat, cupidinem. Id enim prae omnibus rex agebat, ut matrimonio coniungeretur cum Helena, etsi mortuum esse Menelaum minime constaret; et Helena ipsa de regis in se amore minime inscia est. Quae quum ita sint, quivis facile intelliget, quam ineptum sit et id quod v. 1197 tuentes priori loco attulerunt, Theoclymenem maerentem se v. 1197 simulare dicentes mortuum Helenae maritum, praesertim quum paullo post (v. 1232. *χρονία μὲν ἦλθες, ἀλλ᾽ ὅμως αἰνῶ τάδε*) gaudentem se de futuris cum Helena nuptiis aperte ipsi rex ostendat.

Delentes igitur v. 1197, quod non bene sententiis adiungatur, quin recta statuerimus eo minori angimur dubio, quo maiorem accedere videmus auctoritatem, Kviçala**) dicimus, viri doctissimi qui v. 1197 eadem de causa in suspitionem vocat.

---

*) cf. Or. 1593; Suppl. 145; Iph. Taur. 1189. 1191; Jon. 968. 1351; etc.

**) Kviçala „Ueber die Stichomythien bei Euripides“ in diurn. gymn. Austr. a. 1858.

Electra.

v. 552 sqq. Turbatur stichomythia, quae est inter Orestem et Electram, v. 558 duobus versibus Orestis

> *ΟΡ. τί μ᾽ εἰςδέδορκεν ὥςπερ ἀργύρου σκοπῶν*
> *λαμπρὸν χαρακτῆρ᾽; ἢ προςεικάζει μέ τῳ;*

Orestes adhuc a sorore non agnitus sed „ὁ ξένος“ nominatus, colloquitur cum Electra de sene qui adstat; Electra educatorem patris illum esse qui et Orestem servaverit dicit. Statim Orestes animadvertit senem oculis acriter se lustrantem, et admirans haec verba profert „quid senex ille oculos tam acutos in me iecit? tamquam nummi characterem me inspicit, num cui cernit me similem?“ Verba ipsa modum suggerunt, quo huic loco succurratur. Quis enim est qui non videat, sermonem v. 558 et sq. fieri remissiorem et aptissime eum respondere seni Orestem oculis usque perlustranti atque utrum Oresti simillimum an Orestem ipsum eum dicat consideranti? Hanc de duobus illis versibus amplexi sententiam luculento illis utimur argumento ad comprobanda ea quae supra diximus, Euripidem symmetriae quamvis studiosissimum tamen res sententiasque non omnino neglexisse, sed nonnunquam illa neglecta maius iis tribuisse momentum. Sunt, quibus salus huius loci in alia medicina posita videatur:*) verba illa „τί μ᾽ εἰςδέδορκεν κτλ.“ ad semet ipsum Orestem dixisse monent. Miror sane, virum exstitisse, qui indole symmetriam quamcunque perspiciendi adeo caruerit, ut tali modo loco sucurrere posse sibi videretur. Nam si duos versus ad Orestem ipsum dictos statuimus, nullus revera relinquitur versus, qui Electrae versui respondeat, et sic lacuna statuta qui potest stichomythia restituta dici? Sed ne verum quidem quod de versibus illis Orestis ad semet ipsum dictis proferunt: acerrime repugnat v. 560, ubi Electra ad illa verba respondet.

---

*) cf. Fr. Fritze, in versione sua germana Electr. fab.

Eiusd. fab. vv. 563 sqq.

Turbatur stichomythia, quae est inter senem et Electram, v. 573 sq. duobus versibus senis

ΠΡ. οὐλὴν παρ' ὀφρύν, ἥν ποτ' ἐν πατρὸς δόμοις
νεβρὸν διώκων σοῦ μεθ' ἡμάχθη πεσών.

Senex quum Orestem per aliquod tempus perlustrasset gaudens adfirmavit Electrae, τὸν ξένον ipsum esse Orestem. Incredulae ei et interroganti, quo signo fratrem agnoverit, explicat tandem signum cicatricem dicens in supercilio, quam olim in aedibus patris cervam cum Electra persecutus casu gravi sibi ipse paraverit. Quae cum uno versu haud facile comprehendi potuerint nisi omissis pluribus notaminibus iisque ad excitandam rei memoriam necessariis, quumque Electram, quae animum summe intentum in ea, quae senex allaturus erat, habebat, verba senis interrumpere minime decuerit, priusquam signum totum ille aperuisset: duos illos versus recte posuit poeta, rerum necessitatis atque sententiarum magis quam symmetriae externae ratione habita.

Eiusdem fab. vv. 651 sqq.

Turbari videtur stichomythia primum vv. 650 sq. duobus verss. Electrae

ΗΛ. λέγ' ὦ γεραιὲ τάδε Κλυταιμνήστρᾳ μολών·
λεχώ μ' ἀπάγγελλ' οὖσαν ἄρσενος τόκῳ.

Kirchhoffius (adnot. crit.) et Heilandius (l. s. l.) lacunam inter v. 650 et 651 statuerunt. Quos viros doctos male sedulos in enodanda hac difficultate increpantes de nimia in eos superbia et festinatione haud ita arguendi videamur. In promptu enim est, verba tradita nullo modo hiare, et propensissima ipsa in hunc sanandi modum voluntate atque sagacitate acutissima non potest inveniri, quam tandem sententiam complexus sit ille versus senis, nisi illa nullius sententiae verba, quibus in fabulis Euri-

pidis interdum offendimur,*) et hoc loco a poeta scripta fuisse arbitramur. Quum Florentinus, unus huius fabulae codex, nullam ansam nobis praebeat de versuum ingenuitate dubitandi itaque et alter medendi modus, eiiciendi dico unum aut alterum versum propter interpolationis suspitionem, iuste non sit datus, iam inquiramus, num adsit causa, qua duos illos continuos versus Electrae recte tribuere poeta videatur. Adesse causa videtur iusta illa quidem et haud ita obscura nec latens, ut non dubitemus, quin ea ductus fuerit poeta. Vel obiter totum dialogum stichomythicum inde a v. 610 usque ad 683 perlustranti statim innotescit, dialogum non per easdem personas peragi, sed primum quidem inter Orestem et senem (610—648), tum senem et Electram (649—669), denique Electram et Orestem (670—683) colloquium haberi; non unam igitur, sed tres habemus stichomythias: I. inter A. et B., II. B. et C., III. C. et A. Num vituperandus poeta nobis videtur, quod non omnes ad unum versus singulos se excipientes fecerit, sed fines stichomythiae cuiusque (v. 650 et 670) binis continuis versibus notare maluerit ut animis spectatorum at bene omnia percipienda succurreret? Plura tamen sunt, quae fortasse ad nostram hac de re sententiam confutandam lectori obiicienda videantur. Primum, male I. stichomythiam, quae sit inter Orestem et senem, finiri v. 618, II.que senis et Electrae incipi v. 649, quum iam v. 646 et 648 Electram loquentem fecerit poeta. Sed: verbis illis (646. 48) Electra non senem alloquitur, sed Orestem, itaque versus quum ad senem non pertineant minime ad II. stichomythiam, quae est inter senem et Electram, possunt referri, bene autem in fine I. stichomythiae Electra iam inducitur tum ad solvenda quae frater ultima de matris caede attulit dubia, tum ad movenda ea

*) cf. Jon 1351. *τί χρῆμα δρᾶσαι, λέγε, πέραινε σοὺς λόγους*
1335. *τί δή με δρᾶσαι νουθετούμενον χρεών;*
Pluros id genus locos fabb. Eurip. collegit Kuiçala in diurn. gymnas. Austriac. a. 1858.

quae II. stichomythia inter Electram et senem tractanda sequuntur. Non maioris dein notae est quod ex II. et III. stichomythiis male distinctis in nos proferri potest argumentum. Nam etsi Orestem v. 668 loquentem faciat poeta, minime tamen ab hoc versu initium III. stichomythiae, quae est inter Orestem et Electram, capere statuendum est, quum post Orestis versum v. senis (669) adhuc addatur. Sententiae nostrae vis eo denique valde videtur infringi, quod non solum initio III. stichomythiae, sed etiam in media eius parte bini nobis versus occurrunt. Quum in plerisque editionibus versus perturbati exhibeantur (Kirchhoffium secuti sunt editores, cf. infra), ponam eos ut in codice leguntur.

670. *ΟΡ.* *ὦ Ζεῦ πατρῷε καὶ τροπαῖ᾽ ἐχθρῶν ἐμῶν*
671. *οἴκτειρε δ᾽*) ἡμᾶς· οἰκτρὰ γὰρ πεπόνθαμεν.*
672. *ΘΛ.* *οἴκτειρε δῆτα σοὺς γε φύντας ἐκγόνους*
673. *ΟΡ.* *Ἥρα τε, βωμῶν ἣ Μυκηναίων κρατεῖς*
674. *νίκην δὸς ἡμῖν, εἰ δίκαἰ αἰτούμεθα.*
675. *ΗΛ.* *δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωρὸν δίκην*
676. *ΟΡ.* *σύ τ᾽, ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν πάτερ*

Fatendum sane causa, quam ad tuendos continuos versus (650. 51 et 670. 71) attulerimus, versibus 673. 674 succurri non posse. Attamen acrius locum inspicienti de poetae voluntate haud diu dubium esse potest. Nemo enim est, qui non videat, quam apte vv. 673. 74 versibus 670. 71 respondeant: ibi duobus versibus Orestes Jovem, ut sui misereatur auxiliumque contra inimicos ferat, implorat, hic totidem versibus Junonem precatur, ut sibi victoriam paret: utramque Orestis precem Electra singulis versibus (672. 675) confirmat verbis fratris arctissime se adiungens. Concinnitatem vv. 670. 671 et 673. 674 iam Kuiçala vidit et sollerter de ea disputavit in diurn. gymnas. Austr., sed duorum priorum (670. 671) versuum totam vim intra concinnitatis huius fines concludi male voluit.

---

*) Scripsit Kuiçala pro *οἴκτειρεθ᾽*.

Totius enim dialogi stichomythici inde a v. 610 rationem non satis perscrutatus et huic tantum loco intentus deseruisse simpliciter poetam dicit stichomythicam symmetriam (1 : 1 : 1 etc.) ut aliam symmetriam (2 : 1, 2 : 1) poneret. Ex iis, quae de finibus trium stichomythiarum bene notandis modo diximus, satis apparebit, vv. 670 et 671 ea sola de causa continuos Oresti poetam tribuisse, ut III. ab II. stichomythia distingueretur; quam apte autem dein vv. 673. 674 versibus 670. 671 respondentes fecerit Euripides, item satis ipsi demonstrasse nobis videmur. Refutatis quae nostrae de versibus illis continuis sententiae obiicienda videbantur, adstipulari nobis iam non haesitabis et de „turbata stichomythia" minus anxius sic demum symmetriae bene provisum esse confiteberis. Kirchhoffius ut etiam in III. stichomythia versus continuos omnino evitet non quidem iterum — ut supra — versus excidisse statuit, sed ordinem versuum proprio Marte permutans vv. 671. 672 post 675 transponit, v. 673 Electrae tribuit. Nauckius, qui supra (vv. 650 sq.) duos versus retinuit, hoc loco a tot versibus continuis abhorruit et Kirchhoffii de versibus transponendis sententiam amplexus vv. 671 et 672 eodem modo collocatos in editione sua exhibet. Kirchhoffius quidem in hoc laudandus, quod in persequendis vv. continuis constans sibi fuit, in ceteris minime praedicandus, quum voluntati suae nimium indulgens quam bene sint omnia disposita prorsus non perspexerit. Sed si ordinem versuum, ut codex habet, volumus retinere, v. 671 *οἴκτειρεθ'* cum Kuiçala corrigendum est in *οἴκτειρε δ'*. Satis quidem probabile, quod ad probandam suam sententiam l. l. vir doctus affert. Quum, inquit, Orestes verbis „*πατρῷε καὶ τροπαῖ' ἐχθρῶν ἐμῶν*" causam addat, cur prae ceteriss dii ipsum Jovem imploret, pro vocativo poni posse

> *ὦ Ζεῦ, σὺ γὰρ εἶ πατρῷος καὶ τροπαῖος ἐχθρῶν ἐμῶν,*
> *οἴκτειρε ἡμᾶς.*

deleto *γὰρ* verba *σὺ εἶ κτλ. ἐμῶν* arctius cohaerere cum *ὦ Ζεῦ*, itaque *οἴκτειρε* a priori constructione (*ὦ Ζεῦ — οἴκτειρε*) resolvi, ut sine ulla offensione dici possit

ὦ Ζεῦ, σὺ εἶ πατρῷος καὶ τροπαῖος ἐχθρῶν ἐμῶν·
οἴκτειρε δ' ἡμᾶς.

deleto denique *σὺ εἶ* rationem verborum adhuc eandem esse ita ut et

ὦ Ζεῦ πατρῷε καὶ τροπαῖ' ἐχθρῶν ἐμῶν·
οἴκτειρε δ' ἡμᾶς

optime ponamus. Similiter, addit, particulam *δὲ* a poeta positam esse Bakch. 363 sq.: *Ὁσία, πότνα θεῶν, ὁσία δ' ἃ κατὰ γᾶν χρυσέαν πτέρυγα φέρεις.*

Eiusdem fab. vv. 1115 sqq.

Stichomythia exstat inter Klytaemnestram et Electram, quae vv. 1124 sqq. quattuor Electrae versibus perturbatur.

ΗΛ. ἤκουσας οἶμαι τῶν ἐμῶν λοχευμάτων·
τούτων ὕπερ μοι θῦσον, οὐ γὰρ οἶδ' ἐγώ,
δεκάτῃ σελήνῃ παιδὸς ὡς νομίζεται·
τρίβων γὰρ οὐκ εἴμ', ἄτοκος οὖσ' ἐν τῷ πάρος.

Electra matrem ex aedibus regiis arcessivit per causam puerperii. Gravi primum de patris caede inter matrem et filiam exorta altercatione Klytaemnestra tam acerbis ab Electra obruitur conviciis, ut finem huic rei faciendum proponat quaeratque ex filia, qua tandem de causa se vocarit. Explicat dein Electra quattuor illis vv. causam, quare matrem ad se venire iusserit. Optime quidem Euripides matrem non iam interpellantem fecit, sed exspectantem donec filia totam causam protulerit, quum Klytaemnestra modo iurgiis ita a filia percussa sit, ut sane animus eam deficiat ad filiam denuo intempestivis verbis interrumpendam.

Heraklid. 664 sqq.

Stichomythia inter Hylli ministrum et Jolaum violari videtur v. 675 sqq. tribus ministri versibus, v. 678 sq. duobus Jolai.

ΘΕ. ᾐκάζομεν ταῦτ᾽ · οὐ γαρ ἐξηκούομεν ·
ἀλλ᾽ εἶμ᾽. ἐρήμους δεσπότας τοὐμὸν μέρος
οὐκ ἂν θέλοιμι πολεμίοισι συμβαλεῖν.
ΙΟ. κἄγωγε σὺν σοί · ταὐτὰ γὰρ φροντίζομεν,
φίλοις παρόντες, ὡς ἔοιγμεν, ὠφελεῖν.

Accuratius inspicientibus nobis non de laesa stichomythiae lege iudicandum erit. Facili enim negotio dignosci potest, hoc loco non unam eamdemque stichomythiam continuari sed duas omnino eius esse partes. Primum quidem (v. 664—675) Jolaös ex Hylli ministro quaerit de copiis quas Theseus adversus Argivos duxerit, quantus sit sociorum numerus, qui copiae sint dispositae, quam prope absint Argivi; dein (680—693) altercatur minister cum Jolao, quod ipse senectutis debilitatisque immemor se ad bellum proficiscentem comitari manusque conserere velit. Versibus illis duobus ministri „ἀλλ᾽ εἶμ᾽ — συμβαλεῖν“ et duobus Jolai apte duae partes separantur simulque alterius argumentum ab eo quod priori parte continetur diversissimum bene praeparatur. — Editio Aldina v. 676 Jolao, 677 ministro tributis mirandum in modum symmetriae externae ex parte providit; cui versuum distributioni sententiae adeo adversantur, ut vel tironem fugere non possit. Certum vv. 676. 677 ab uno eodemque esse dictos nec ab ullo alio dici potuisse nisi a ministro: nam si Jolao eos tribuimus, vv. 678. 679 ministro tribuendi sunt, quo facto tota sequentis stichomythiae (680—693) vis evanescit, ineptissime sane acerrimum illud de pugna certamen inter Jolaum et ministrum institueretur, quum uterque consilium proeliantes socios adiuvandi iam protulisset et affirmasset. Ceterae omnes editiones Palatinum et Florentinum secutae recte ministrum vv. 676. 677, Jolaum 678. 679 continuantes exhibent.

Eiusdem fab. 961 sqq.

Stichomythia inter nuntium et Alkmenen turbari videtur v. 962 sq. duobus Alkmenae versibus

ΑΛ. ἄλλως ἄῤ αὐτὸν αἰχμάλωτον εἵλομεν.
εἴργει δὲ δή τίς τόνδε μὴ θανεῖν νόμος;

Kirchhoffius (adnot. crit. ad Herakl.) post v. 962 nuntii verba deesse arbitratus viam emendationi recte notasse sibi videtur. Heilandius l. l. item post v. 962 nuntii versum excidisse coniecit. Versus illos male continuari vel rigidissimus versuum continuorum protector confitebitur, particula enim δὲ nimiam affert difficultatem, quam ut versus ab Alkmene ad nuntium continuos dictos esse censeamus. Sed quaenam adest necessitas ut de lacuna cogitantes acerrimum statim adhibeamus remedium? Verba ipsa aliam suppeditant medicinam leniorem illam quidem sed ad reparanda omnia aeque idoneam. Monuit eam iam Kuiçala et quin certissimam illam assumeremus sane non diu haesimus. Quid enim aptius, quam ut Alkmenen a nuntio, nefas esse Eurystheum regem captum occidi, admonitam et a spe cruentae vindictae reiectam verba illa „ἄλλως ἄῤ αὐτὸν αἰχμάλωτον εἵλομεν“ ad semetipsam dixisse putemus? Quod si probaverimus et v. 963 tantum ad nuntium ab Alkmene dictum statuerimus: et traditorum verborum reverentia salvata et symmetriae stichomythicae erit optime provisum.

Hiketid. 117 sqq.

Kirchhoffius post v. 153 duos versus excidisse statuit (adnot. crit. in Hik.), lacunam dicens manifestam, quum nimium quantum hiet nexus sententiarum. Nos quidem in ea sumus opinione, ut sententiam, quae inter vv. 153 et 154:

ΘΕ. σοφὴν γ᾽ ἔλεξας τήνδ᾽ ἑκούσιον φυγήν.
ΑΔ. ἀλλ᾽ οἱ μένοντες τοὺς ἀπόντας ἠδίκουν.

desideratur, facillime suppleri itaque recte alterum versuum alteri arcte adiungi posse censeamus. Theseus aegre ferens, quod Polynikes fratri bellum intulerit causaque fuerit omnium malorum, quae ut tolleret Theseus precaturae venerant interemptorum uxores, „in hoc uno quidem laudandum dicit Polyniken, quod sua sponte e patria fugerit“

(v. 153); in hoc non solum sed omnino dicit et Adrastus eum prudentem et sobrium, non enim intulisset bellum, „nisi frater eum iniuriis incitasset“ (v. 154). Notissimus quidem correptus hic Graecorum sermo,*) quem a nostris temporibus alienissimum arctioribus finibus saepe v. d. male concludunt.

Eiusdem fab. 757 sqq.

Stichomythia exstat inter Adrastum et nuntium; inde a v. 766 codices nuntio tribuunt versus hos continuos

ΑΓΓ. οὐδεὶς ἐπέστη τῷδε δοῦλος ὢν πόνῳ.
φαίης ἄν, εἰ παρῆσθ᾽ ὅτ᾽ ἠγάπα νεκρούς.

Hermannus lacunam statuit, Lobeckius interpolationem, qui (in Soph. Ai. p. 228 ed. pr.) v. 767 utpote nothum damnavit. Non est nec in codicibus nec in verbis ipsis, cur de versu 767 spuriae originis suspitio iure nobis exoriatur. Nexum sententiarum hiare non potest quidem in controversiam vocari, et iam nostrum erit ut quam optime explendae lacunae instemus. Quod Fr. Fritze in versione sua germana fabb. Eurip. ad explendam eam protulit, qui „num Theseus ipse solus hoc onus subiit?“ scriptum ab Euripide fuisse dicit, haud ita acute excogitatum nobis videtur. Nam qui potest Adrastus quum e nuntio audierit servos exequias illorum funerum non esse persecutos, statim de Theseo rege cogitare, qui auctori tantorum malorum valde iratus nisi vehementissimis commotus precibus ad vindicandam iniuriam mortuis illatam cum Thebanis arma non contulerat? Praeterea versus qui sequitur „si adfuisses, valde eos amantem eum dixisses“ non bene huic de Theseo sententiae adiungitur. Adrasto admonito, servos funeribus minime adfuisse, cogitandum fuisse censemus non statim de rege, sed de aliis viris honestis,

---

*) Cuius rei ut unum quidem quod ad manus est exemplum afferam, cf. Sophocl. Antig. 1054

ΤΕΙ. καὶ μὴν λέγεις ψευδῆ με θεσπίζειν λέγων.
ΚΡ. τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος.

quibus stipatus bellum illud rex obierat, et Euripides non dubitandum, quin tale quid scripserit. Ad quam sententiam et quae sequuntur aptissime conveniunt: nam sua de viris alienis quamvis honestissimis opinione non ad regis humanitatem et pietatem plane attigisse eum haud obscure indicans nuntius verba illa respondet „*φαίης ἄν, εἰ παρῆσθ' ὅτ' ἠγάπα νεκρούς*“ regemque ipsum fuisse, qui occisorum funeri omnia iusta solverit movet Adrasto suspitionem, qui denique: „*ἔνιψεν αὐτὸς τῶν ταλαιπώρων σφαγάς;*“

Iphig. Aul. 297 sqq.

Stichomythia inter senem et Menelaum laesa exhibetur a codicibus v. 304 duobus his hemistichiis:

ΜΕ οὐκ ἂν μεθείμην. ΠΡ. οὐδ' ἐγώ γ' ἀφήσομαι.

Aptissime hoc loco consuetum inde a v. 297 stichomythiae ordinem turbatum esse iam Kuiçala in diurnali gymnas. Austriac. pluribus recte exposuit. Turbatam dicit hanc stichomythiae rationem plane congruere cum iis, quae in scaena agantur. Aperte enim servum senem quum dixisset vel dum diceret „*ἄλλοις ἁμιλλῶ ταῦτ', ἄφες δὲ τήνδ' ἐμοί*“ manus in literas iniecisse, quas ipsi Menelaus eripuisset, et ut manibus eius extorqueret totis viribus nisum esse. Quum adhuc verborum tantum certamine pugnatum sit et manus nondum conseruerint, poetam singulis versibus colloquentes eos iure fecisse, quum autem a verbis ad verbera venisset et senex quod frustra antea verbis tentasset adhibita vi assequi studeret, utrumque verba corripientem Euripidem aptissime finxisse hemistichiumque utrique tribuisse: sic turbata stichomythiae ratione optime significari mutatam colloquentium condicionem. Non habemus quod ad v. d. de hoc loco sententiam aut explicandam magis aut comprobandam addamus: ipse satis plane et sollerter disputavit ut vel invito extorqueat assensionem. — Tres senis versus 308 sqq. transitionis loco a poeta positos esse, ut haec inter senem et Menelaum stichomythia

separaretur a sequenti, quae est inter Agamemnonem et Menelaum, quivis facile videt, nec quemquam esse puto qui de laesa stichomythiae lege somnians poëtam in iudicium vocare audeat.

Eiusdem fab. 1433 sqq.

Stichomythia exstat inter Klytaemnestram et Iphigeniam; in codicibus v. 1437 sq. hi duo leguntur Iphigeniae versus continui:

ΙΦ. μήτ᾽ οὖν γε τὸν σὸν πλόκαμον ἐκτέμῃς τριχός,
μήτ᾽ ἀμφὶ σῶμα μέλανας ἀμπίσχῃ πέπλους.

Tetigimus locum a viris doctis quam maxime in controversiam vocatum. Firnhaber*) utrumque versum retinendum esse acriter defendit; A. Nauckius (adnotat. crit. ad Iphig. Aul. VI.) versum delendum censet, sed uter sit nothus ambigit; L. Dindorfius priorem, Kirchhoffius, Hermannus, Hartungius alterum versum spurium damnavere. Probatis quae ad comprobandam suam sententiam v. d. quisque attulit, quid nobis hoc de loco videatur proponemus.

Firnhaber in hunc fere modum de sententia sua disputat. Iphigeniam, dicit, morituram proferre quae a matre agenda velit: „ne sibi capillos tondeat neve vestibus induatur funebribus," non enim ipsam morti dari et oblivioni, sed fore ut in perpetuum clarescat gloria. Lugentes vestibus atris tonsisque capillis notatos, saepe Euripidem induxisse, Electr. 149,**) Orest. 958,***) et Helenam quum mariti tumulum inanem simularet signis illis funebribus deformem poetam fecisse, Helen. 1086. 1087,†)

*) Disputat de hoc loco in „Zeitschrift für Alterthumswissenschaft" a. 1841.

**) Ut statim iudicandi, num iure locos sqq. v. d. appellarit necne, melior adsit facultas, verba ipsa poetae notavi. Electr. 149. *χέρα τε κρᾶτ᾽ ἐπὶ κούριμον τιθεμένα.*

***) *σίδαρον ἐπὶ κάρα τιθεῖσα κούριμον πήματα οἴκων . .*

†) *ἐγὼ . . . βοστρύχους τεμῶ πέπλον τε λευκῶν μέλανας ἀνταλλάξομαι.*

1186.*) Verisimillimum igitur ducit v. d. et hoc loco Iphigeniam, quum matri luctum interdiceret, et vestem et tonsuram dixisse non admittenda, de lacrimis iam v. 1433 mentione facta. Vocibus μήτε — μήτε et οὖν (1437) omnem dubitationen num sint genuini illi versus nobis eximi. Quod v. 1438 delendum quidam putaverint, quum eadem fere verba v. 1448 (μήδ' ἀμφὶ κείναις μέλανας ἐξάψῃς πέπλους) legantur, haud satis causae attulisse eos v. d. dicit: immo, quum matris et sororum eadem sit condicio, utroque loco (et v. 1438 et 1448) ne vestibus funebribus induantur Iphigeniam recte precari. Etiam si omnia ad unum verba eadem nobis occurrerent, non esse monet v. d. cur unum aut alterum versum damnaremus, nam saepe personas in iisdem condicionibus constitutas eadem verba loquentes fecisse poetam; exempla adlegat Teleph. fr. II. et Helen. 1078; Iph. Aul. 1433 et Med. 909. — L. Dindorfio, qui v. 1437 ea de causa delendum censuit, quod, quum v. 1448 sororibus luctum interdicens Iphigenia de capillis non faceret mentionem, et matri v. 1437 apte non posset capillorum tonsuram interdicere, opposuit Firnhaber: aptissime matri tantum dici ne capillos detondeat, sorores quum adhuc parvulae sint dolentes satis sese exhibere atris vestibus, adultis enim et parvulis non eadem esse signa doloris.

Quod quidem v. d. de versibus iisdem saepe nobis occurrentibus dicit argumentum depromi non posse ut unum aut alterum versum ab interpolatore profectum iuste iudicemus, hoc probabiliter et recte, et sane praepropere interpolatorem accusasse assentimur, qui delendum

---

*) „αὕτη, τί πέπλους μέλανας ἐξήψω χροὸς λευκῶν
ἀμείψασ' ἔκ τε κρατὸς εὐγενοῦς κόμας σίδηρον
ἐμβαλοῦσ' ἀπέθρισας . . . χλωροῖς τε τέγγεις δά.
κρυσι σὴν παρηίδα κλαίουσα“;
Addit Phoen. 323. „ὅθεν ἐμάν τε λευκόχρεα
κείρομαι δακρυόεσσ' ἀνεῖσα πένθει κόμαν
ἄπεπλος φαρέων λευκῶν, τέκνον, δυσόρφνεια
δ' ἀμφιτρυχῆ τάδε σκότι' ἀμείβομαι“.

v. 1438 censent eo quod eadem fere verba v. 1448 legantur. At argumentum, quo duos illos versus defendens luculentissimo sibi videtur uti, Euripidem semper quum de signis funereis loquatur et vestes funebres et tonsos ponere capillos, nimis levi nititur fundamento. Duobus prioribus locis, quos ipse v. d. adlegavit (Electr. 146. Or. 958), tonsos quidem capillos legimus, sed vestes nigras non invenimus, et alii nonnulli exstant loci (Electr. 239. 335. Alc. 528), ubi de tonsura tantum poëta loquitur, vestium nulla fit mentio. Contra Dindorfium priorem versum (1437) acriter a v. d. defensum esse nemo est qui non videat. Sane ex eo, quod sororibus capilli tonsi non sint interdicti, non sequitur ut et v. 1437 siluisse de iis Iphigeniam ponamus, etiamsi sorores adultas et tonsuram iure admittentes fingamus. Dindorfium, ut versum alterum (1438) retinere maluerit, eo adductum esse suspicor, quod necessarium eum putarit propter v. 1448: *μήτε μηδέ*, „ne tu induaris, quaeso, vestibus funebribus neve sorores quidem". Sed particulam *μηδὲ* hoc loco idem significare ac *μήτε* et v. 1448 cum v. 1437 simpliciter coniungi, vidit iam Kuiçala, qui l. l. eius rei exemplum attulit Archilochium (Bergk 66.) „*καὶ μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο, μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο*".

Hermannus, Hartungius, Kirchhoffius v. 1438 delendum censent, in quorum virorum sententiam omnino discedi debere iam Kuiçala l. s. l. pluribus ingeniose demonstravit. Haec fere ea de re disputat. Iphigeniae, dicit, quum particula *μήτε* sit exorsa, in animo fuisse alterum membrum adiungere, et verisimillimum dicere eam voluisse id quod fortuna colloquii coacta versu demum 1448 proferat: „*μήδ' ἀμφὶ κείναις μέλανας ἐξάψῃς πέπλους*". Sed Klytaemnestram, quum vix quid desideraret filia audiisset, verba Iphigeniae interrupisse interrogantem: „*τί δὴ τόδ' εἶπας*"; nunc verbo verbum excitari, quo fiat ut Iphigenia quae versui 1437 adiungere voluerit, versibus decem interpositis apte demum v. 1448 proferre possit. Precem de non vestiendis sororibus statim v. 1437 adiun-

gere voluisse Iphigeniam, evidentissimum esse dicit, nam quum Iphigenia v. 1447 a matre interrogaretur „τί δὴ κασιγνήταισιν ἀγγελῶ σέθεν“; non respicere omnino filiam verba matris, sed prioris precis perficiendae memorem illis verbis factam proferre: μήδ' ἀμφὶ κείναις κτλ., iterum demum a matre rogatam „εἴπω δὲ παρὰ σοῦ φίλον ἔπος τι παρθένοις;“ ad verba matris eam respondere: χαίρειν γ' κτλ. Iphigeniam ad ea quae mater v. 1447 rogaret primum longe alia respondere, non posse ullo modo intelligi concludit v. d., nisi deleto v. 1438. Iphigeniam a matre interruptam (1437) ponamus et ab ea, quam v. 1448 proferat sententiam, reiectam. Monet praeterea v. d. quam apte mater verbis filiae perterrita sermonem perficere eam non sinat sed loquentem interrumpat: matrem verba filiae ad unum omnia placide excipientem ferri haud ita bene posse. Quo maiorem extorqueat suae hac de re sententiae assensionem, addit v. d. locos huic similes, primum eiusdem stichomythiae v. 1439. Klytaemnestram, dicit, quum protulisset ἀπολέσασά σε, ibi pergere voluisse in hunc fere modum: „μὴ σὴν ψυχὴν πενθῶ; egone tui orbata a luctu desistam?“ Sed Iphigeniam ne longius mater sermonem prosequatur impedire, quum voci ἀπολέσασα inhaerens dicat male eam hac voce usam esse; ad quae filiae verba Klytaemnestram nihil respondere sed repetere, quod iam (τί δὴ τόδ' εἶπας;) rogarit, verbis aliquantulum mutatis: πῶς εἶπας; quodque supra dicere in animo ei fuerit, addere: οὐ πενθεῖν με σὴν ψυχὴν χρεών; — Alterum locum adlegat Bakch. 821 sqq. — De interpolatoris denique voluntate Kuiçala acute haec coniecit. Interpolatorem, qui quam arcte vv. 1437 et 1438 cohaereant non perspexerit, unica particula μήτε offensum alterum membrum addendum curasse; atque quum a lugentibus vestes nigras adhibitas esse nosset (cf. v. 1448) versui componendo studuisse, quo vestes nigrae exhiberentur; quum v. 1448 vidisset magnos usus adferre ad tale quid componendum inhaerentem ei mutasse μήδ' in μήτε et scriptis pro κείναις — σῶμα, pro ἐξάψῃς — ἀμπίσχῃ cetera verba eadem recipisse. Sed

cauto hoc studio, ut verba poneret quae Euripidem redolerent ita ut ab ipso poeta profectus versus crederetur, interpolatorem ipsum spuriae originis suspitionem movere, nam locum similem illi „ἀμπισχέσθαι ἀμφὶ σῶμα πέπλους“ nullum in Euripidis fabb. inveniri; poetae aeque inusitatum „ἀμφιβαλέσθαι τι ἀμφὶ σῶμα“ sive „περιθέσθαι τι περὶ σῶμα,“ quas verborum constructiones, etsi intelligi possint, nimis graves esse dicit, quam ut ab Euripide hoc loco positas esse suspicari quisquam iure possit. In iis, quae Kuiçala ad comprobandam suam de difficili hoc loco sententiam attulit, nihil inveneris quod minus laude dignum censeas: immo nobiscum confiteberis, arguta v. d. sagacitate locum omnino emendatum esse.

Iphig. Taur. 69 sqq.

Stichomythiam, quae est inter Orestem et Pyladem, turbari multi adfirmant duobus his Orestis versibus:

ΟΡ. Πυλάδη, δοκεῖ σοι μέλαθρα ταῦτ᾽ εἶναι θεᾶς, 69
ἔνθ᾽ Ἀργόθεν ναῦν ποντίαν ἐστείλαμεν;

Ad restituendam stichomythiae aequabilitatem Badhamus et Nauckius postulant, ut v. 70 damnandus statuatur; causam qua adducti tam acerbe in v. 70 animadverterint, non addunt. Fritze*) item in v. 70 haerens causam quidem attulit miram illam et cum suis de arte tragica placitis tam arcte coniunctam, ut num cui nisi sectatoribus ipsius arrideat iure dubitemus. Profert enim v. 70 damnandum esse quod eodem tono rhetorico dicendus dispositus sit ac v. 69;**) atqui in fabulis poetae nusquam inveniri duos trimetros continuos, in quibus loci iidem elata voce essent recitandi. — Sine causa tantam operam ad ordinem sti-

---

*) In praefatione quam versioni suae germanae fabb. Eurip. praemisit, tom. I.

**) Vocem ponit his verbis:

Πυλάδη et εἶναι
Ἀργόθεν et ἐστείλαμεν

chomythicum restituendum se impendisse v. d. docentur a Kuiçala, qui l. s. l. stichomythiam pluribus recte ostendit minime a v. 67 incipere, quod v. illi d. male supposuerunt, sed ipso v. 69, itaque versus duos iure impugnari non posse. Versus 67 et 68 dicit ab Oreste et Pylade prolatos esse dum relictis insidiis caute et occulte ubique circumspicientes in mediam scaenam usque ad templum Dianae procederent. Deae enim imaginem rapturis iis primum videndum fuisse, num quis adesset qui sacrilegos eos deferret: itaque admoneri Oresten a socio „ὅρα, φυλάσσου μή τις ἐν στίβῳ βροτῶν," cui Pyladen respondere, huic rei iam a se operam dari. Quum neminem vidissent usque ad templum eos processisse ibique pedem stitisse, et tunc (v. 69) de Dianae templo et altari stichomythico dialogo secum colloqui. Apte autem monet Kuiçala stichomythiam duobus versibus inceptam; eam enim dicit poetae consuetudinem, ut cum personas stichomythico sermone disputantes inducat, non statim singulis versibus*) colloquentes eos faciat, sed alteri personae semper plures (plerumque duos) versus tribuat.**) Si statim singulis versibus Orestes et Pylades colloquerentur, naturae humanae valde absona ficturum fuisse poetam v. d. iure concludit, itaque vim huius loci totam infracturum, quum spectatoribus, num verum esset quod ageretur, movisset ipse iustam suspitionem.

---

*) Locos nonnullos, ubi stichomythiam statim a singulis versibus incipi infitias iri non potest (cf. Iph. A. 312. Or. 1514. Jon. 529. Alk. 525.), v. d. recte defendit, personam novam nimiam festinationem et ardorem prae se ferre dicens, ita ut abrupta haec dicendi ratio rerum condicioni apte concinat, aut salutationem tantum dari et reddi, qua peracta singulos versus statim adiungi.

**) Cf. Heracl. 628. Hipp. 267. Troad .711. Jon. 1327. Iph. Aul. 856. Hel. 611 — Non fugit v. d. et is stichomythias instituendi modus non raro a poëta adhibitus, ut personae primum pluribus versibus secum colloquantur, dein paullatim ad singulos versus transeant; affert: Suppl. 567. 757. Jon. 274. 1286. Hel. 554. 1415 Herc. fur. 537. 710. Electr. 611 etc.

Eiusdem fab. 480 sqq.

In ipso limine stichomythiae, quae est inter Iphigeniam et Oresten, leguntur in codicibus duo Iphigeniae versus:

ΙΦ. πότερος ἄρ ὑμῶν ἐνθάδε ὠνομασμένος
Πυλάδης κέκληται; τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω.

Locum hunc difficillimum H. Useneri demum ingeniosa qua ipse est in his rebus sagacitate, plane emendatum esse sincero et ingenuo corde profitemur. Causis quas v. d. ad comprobandam suam sententiam Iphigeniae hoc loco unum tantum versum a poeta tributum esse attulit,*) omnino concedendum. Subtili disputatione ostendit „totum hoc Orestis et Iphigeniae colloquium senorum versuum membris observatis continuari; de Orestis nomine inquiri v. 487—492, de eiusdem patria 493—498, quum exulem se esse Orestes confessus sit concedere eum sorori sciscitanti morem se gesturum 499. 500. 503. 504. 501. 502,**) Troiam captam Graecosque rediisse ab eo confirmari 505—508. 515. 516,***) singula dein perquiri: de Helena 509—514, de Calchante et Ulixe 519—524,†) de Achille 525—530, de Agamemnone 531—536, de Agamemnonis nece 537—542, de Klytaemnestra 543—548, denique de Agamemnonis progenie domi relicta 549—554. Quum totum diverbium sic ad numerum senarium versuum redigendum ostenderit, primi membri rationem dicit aperte violari, dum septem efficiantur versus, qui de Pylade sint:

---

*) In Museo Rhenano, tom. XXIII.

**) Sic enim versus collocandos esse, iam Kirchhoffium recte vidisse Usenerus pluribus explicat. Kirchhoffium secuti Dindorfius et omnes fere qui fabb. Eurip. ediderunt mutatum hunc versuum ordinem exhibent.

***) Versus 515. 516. post 508 ponendos esse Usenerus recte ita defendit, ut „rationis necessitate exigi dicat, ut huic de reditu interrogationi primitus locum post eos versus iudicemus fuisse, quibus Troiam iam captam esse Orestes confirmet i. e. ante omnem eum sermonem, quo singulorum fata, Helenae Calchantis Ulixis ceterorum perquirantur".

†) Vv 517. 518 eiiciendos esse v. d. luculentis probat argumentis.

unum ergo versum in limine Iphigeniae a poeta tributum esse in dubitationem vocari non posse. Inquirit dein v. d., quidnam ab Euripide scriptum fuerit. Recte impugnat „ὠνομασμένος κέκληται ἐνθάδε," quae verba interpolatorem satis redolere dicit, quum ut hiantes numeri explerentur male coacervata ea esse quivis videat. Item iure offendit verba „τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω," quum ne verbo quidem quam cuperet ab his iuvenibus de rebus domesticis doceri Iphigenia antea significarit; inepte, ostendit, hanc sententiam ereptam esse ex versu sequenti „εἴ τι δή σοι τοῦτ' ἐν ἡδονῇ μαθεῖν". Primam igitur concludit v. d. hanc Iphigeniae interrogationem singulari olim versu comprehensam postea in duos male distractam esse. Addit versum, quem ab Euripide scriptum suspicatur:

Πυλάδης ἄρ' ὑμῶν πότερος ὃς κικλήσκεται;
sive *Πυλάδης ἄρ' ὑμῶν πότερος ἦν κεκλημένος;*

Prolatis iis, quae ad dispergendas densissimas quibus locus adhuc obscuratus erat tenebras vir doctus subtili iudicio observavit, fortasse quis quaeret, num et in ceteris stichomythiis sententiae ad certas numerorum rationes dispositae inveniantur, ita ut nova aperta sit via, quam ingressi optime laesum stichomythiarum ordinem restituamus. Sane vel invitis non negandum, in stichomythia, quam modo tractavimus, tantam tamque accuratam esse hanc partium aequabilitatem, ut non casu sed ex consilio poetae haec evenisse statuamus necesse sit, recteque aequabilitate illa Usenerus firmissimo usus est argumento, ut alterum versuum spurium reiiceret. Viri docti*) et alias nonnullas partes stichomythicas probaverunt ad certas quasdam numerorum rationes quadratas esse. Sed ne omnium stichomythiarum sententias pari versuum numero definitas censeamus legemque igitur certam negemus, qua ad probandos versus continuos uti possimus, et re ipsa movemur et

---

*) Cf. Hirzel, de Euripidis in componendis diverbiis arte. Bonn, 1862.

I. Cawalina, de Euripidis studio aequabilitatis. Bonn, 1867.

complurium virorum doctorum,*) imprimis Ritschelii auctoritate haec monentis: „Was zwang überhaupt den Dichter, aus einer relativen Symmetrie sofort eine absolute zu machen, da doch ein Princip nicht gleich zu Tode geritten merden muss?“**) Eas autem stichomythias invenimus in membra aequabilia dissectas, in quibus de personis aut de rebus nomine distinctis indagatur: et potuit profecto poetae prae ceteris symmetriae studioso atque diligenti maxime cordi esse, ut personae atque res sciscitandae eodem singulorum versuum numero comprehenderentur, quum posita in singulis nominibus voce facultas data sit ut membra aequabilia ab auditoribus perciperentur. Percipi enim pares numeros ab auditoribus omnino debuisse, omnes v. d. consentiunt, immo „tantam operam curamque, tam subtilem diligentiam haud profecto poetam impensurum fuisse, nisi certam ad auditorum animos commovendos vim huic rei tribuisset“.***) At nisi personarum rerumve nominibus elata voce distinctis facultatem non adfuisse pares versuum numeros percipiendi, plane mihi persuasum est. Sunt quidem, qui omnem id genus aequabilitatem ab auditoribus intelligi potuisse contendant. Dicunt, „Grae-

*) F. Sudhaus, in progr. gymn. Treptow a. R. 1841.

H Weilius, annal. philol. a Fleckeiseno edit. vol. LXXIX, p. 721.

Ritschelius, annal. philol. a Fleckeiseno edit. vol. LXXVII, p. 761.

H. Weilius, de la composition symétrique du dialogue dans les tragédies d'Eschyle.

A. Goebel, in program. gymn. Konitz 1862.

Kuiçala, Ueber die Stichomythie bei Euripides; in der Zeitschrift für die östreich. Gymnasien, 1868. Heft VII.

Behrns, de stichomythia Euripidis. Wetzlar, 1864.

Kuiçala, Beiträge zur Kritik und Exegese der Taurischen Iphigenia des Euripides. Wien, 1859.

**) Ritschelius, Annal. phil. vol 77. p. 799. H. Keckius, annal. philol. a Fleckeiseno edit. vol. LXXXI, p. 843 et vol. LXXXVII, p. 153.

***) Hirzel, de Eurip. in compon. diverb. arte.

corum aures nostris multo tritiores ideoque aptiores fuisse ad senorum denorum duodenorum versuum aequabilitatem sentiendam" (cf. Hirzel, de Eurip. etc.). Sed tritae illae Graecorum aures ad enodandas quascunque difficultates toties sane appellatae parum nobis hac in re conferunt fidei. Dein adfirmatur: „aequabili actorum conlocatione et gestuum similitudine factum esse, ut oculis quoque cerneretur aequabilitas" (cf. Hermannus, element. doctr. m. p. 725). Modus nimis sane a re alienus, quam quo sententiarum aequabilitati poetam succurrisse credam. Addit Hirzelius (l. l.) „multum tribuendum esse loquendi pausis singulos articulos insignite distinguentibus," at quum ei ipsi haud ita sufficere haec videantur ad limatam illam artem satis patefaciendam, eo adducitur ut „hanc numerorum aequabilitatem arctissimo vinculo cum artis musicae rationibus coniunctam fuisse credat". Modum, quo coniunctam eam suspicetur explicans „fac," dicit, „singula partium stichomythicarum membra tibicinum chordarumve sonis interpositis distincta fuisse, quis est, quin eam figurarum concinnitatem statim animadvertisset? Cave hoc ita accipias, ut ipsos musicae motuumque numeros subsidio fuisse credas versuum responsionibus perspiciendis: „immo haec ut inter se cohaerent arctissime ita ex universae artis scaenicae vi et natura profecta sunt omnia". Quam audacia sint haec v. d. verba quaeque nullo prorsus solido nitantur fundamento, non est cur pluribus arguamus, nam ipse paullo post confitetur „rem illam suapte natura difficillimam et spissis tenebris obvolutam, ut nunc non iuvare dicat ambiguis coniecturis indulgere". — Nos quidem — ut nostram hac de re sententiam sumamus — in ea sumus sententia ut eam censeamus esse stichomythiae rationem et in eo vim omnem positam, ut versus opponatur versui et alternantium versus singuli sese excipiant. Quod non ita factum credas, ut singuli versus quam plurimi sine ullo consilio pronuntiarentur, sed cordi profecto poetae fuit, ut et sententias respiceret easque ordine dispositas exhiberet: ubi autem in sciscitandis personis vel rebus

facultas data sit ut pares versuum numeri ab auditoribus perciperentur, ad amussim calculi eos a poetae laboratos esse iam supra diximus, atque in dubitationem vocari omnino non potest, eos ad artem poetae intelligendam aeque ac ad opera emendanda maximi esse momenti. Ceteras stichomythias in membra dissectas non esse fabulis quae exstant docemur, et sane Euripides si omnes tales disposuisset, maxime si altercantium rixas ad certos numeros revocasset, vim huius dialogi ipse valde videretur infregisse.

Eiusdem fab. 722 sqq.

Inde a v. 723 duo in codicibus leguntur versus Iphigeniae:

ΙΦ. ὅρκον δότω μοι τάς δε πορθμεύσειν γραφὰς
πρὸς Ἄργος, οἷσι βούλομαι πέμψαι φίλων.

Nauckius v. 724 uncis inclusit, Badhamus eundem versum „suspectum“ habuit: quos v. d. ut versum alterum delendum censerent ea suspicor causa adductos esse, quod versus ipsis videretur superfluus. Et profecto ad Oresten plane instruendum minime necessarius est versus, quum Iphigenia iam supra Oreste et Pylade adstantibus dixerit (577. 578):

εἰς Ἄργος αὖθις τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς
πέμψειε σωθεὶς τῶν ἐμῶν φίλων τινί.

Et paullo ante institutam hanc inter ipsam et Oresten stichomythiam verba illa aperte respiciens ea de re utpote notissima cum Oreste sermonem contulerit. Sed quum de literis deferendis iuramentum nunc exigat, apte singula quaeque enumerat officia, quae accurate praestanda literas delaturo demandat. Recta hoc de loco nos iudicasse magno argumento est v. 733, ubi Pylades verba virginis secutus de singulis exequendis iuramentum edit.

Eiusdem fab. 791 sqq.

Stichomythiae, quae exstat inter Oresten et Iphigeniam, vv. 799 et 800 in codicibus Orestae tribuuntur:

ΟΡ. λέγοιμ᾽ ἂν ἀκοῇ πρῶτον Ἠλέκτρα τάδε.
Ἀτρέως Θυέστου τ᾽ οἶσθα*) γενομένην ἔριν;

Hermannus ut legi stichomythiae consuleret lacunam inter vv. 799 et 800 statuit versum desiderans qui sit Iphigeniae, et versu 781: „οὐδὲν · πέραινε δ᾽. ἐξέβην γὰρ ἄλλοσε“ huc translato optime lacunae resarciendae providisse sibi videtur. Nauckius huic loco alteram adhibens medicinam v. 799 supposititiae originis notam inussit uncisque eum inclusit. Celerius a Nauckio interpolatorem accusatum esse v. 810 docemur „ἃ δ᾽ εἶδον αὐτὸς, τάδε φράσω τεκμήρια,“ qui versus aperte ad v. 799 respicit. Ceterum et Hermannum praepropere de lacuna cogitasse Kuiçala**) ostendit, qui versus continuos recte ita defendit, ut ad duas stichomythiae partes bene segregandas a poeta positos esse dicat. In prima enim parte, quae sit inde a v. 791—799, Iphigeniam dicit quaerere ex Oreste, Oresten ad virginis verba respondere et v. 799 ultimam eum dare responsionem; inde a v. 800 incipi alteram stichomythiae partem, ubi Oresten interrogare, respondere Iphigeniam. Partes colloquentium sic mutandas iam v. 798 significari, ubi Or. „οὐκοῦν λέγειν μὲν χρὴ σὲ, μανθάνειν δ᾽ ἐμέ“. Apte igitur, sumit v. d., ut fines stichomythiae partium bene notarentur, duos illos versus continuos Orestae esse tributos, quos tamquam cardines partium illarum a poeta constitutos esse dicit. Iam vero Seidlerus ad hunc locum adnotaverat: „quem offendunt duo unius personae versus is monendus erit, novam hic ordiri colloquii partem“. Adlegavit Kuiçala et alios nonnullos locos, ubi mutatae colloquentium partes aeque exhibent mutatum ordinem stichomythiae, Or. 726 sqq. Iph. Taur. 1133 sqq. (pro singulis versibus hemistichia posita sunt).

---

*) Ita recte scriptum in ed. Brubachiana pro οἶδα quod codices male exhibent.

**) Kuiçala, l. s. l.

Eiusdem fab. 995 sqq.

Versus 1000 et 1001 male ordinem stichomythiae perturbant:

ὡς δὴ σκότος λαβόντες ἐκσωθεῖμεν ἄν;
κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

Cogitantibus nobis, num causa adsit quare vv. 1000 et 1001 a poeta positi credantur, nulla profecto apparuit; praeterea vv. 999 et 1002 tam apte conveniunt alter ad alterum ut nihil interpositum fuisse certum esse videatur. Persuasum mihi est, versus tribuendos esse interpolatori, qui in v. 999, maxime in voce λάθρα haerens id egit, ut vv. additis sententiam redderet paullo planiorem et dilucidiorem. Dubitari non potest, quin interpolator vv. 1000 et 1001 una cum 999 olim tribuerit Orestae; postea demum legis stichomythiae magis quam sententiarum ratione habita versus graviori peccato ita sunt distributi, ut v. 1000 sit Iphigeniae, 1001 Orestis. Sed quis est, qui non videat, v. 1000 Iphigeniae tributo sententiam effici virgini in regem piissimae valde adversam? Qui potuerit poeta Iphigeniam fratri alium caedis modum suadenti quodam modo annuentem facere, quum paullo iam ante (v. 996. 998) virginem induxerit tam acriter ab hospitis caede quacunque abhorrentem? Spero nullum fore qui adeo sit animo obcaecatus ut v. 1000 Iphigeniae tributum defensurus eum dicat ad v. 1004 referri, ubi alium modum se invenisse virgo dicit imaginem deae surripiendi et e manibus regis effugiendi, quum versus aperte respiciat ad consilium v. 999 ab Oreste suggestum. Vv. 1000 et 1001 nullo igitur prorsus modo possunt defendi, quos qui primus addidit nimis de perspicuitate sententiae anxius iure ille increpandus, qui vero inter Iphigeniam et Orestem sicut diximus distribuit ratione fere orbatus censendus.

Jon. 939 sqq.

Stichomythia inter Kreusam et paedagogum vv. 941. 942 versibus Kreusae continuis perturbatur:

KP. ἄκουε τοίνυν · οἶσθα Κεκροπίας πέτρας
πρόςβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν;

Hermannus et Heilandius versus continuos defendunt fieri non posse arbitrati, ut tot momenta, quibus locus a Kreusa denotetur, unius versus finibus a poeta comprehenderentur. Sed quid opus est tot momentis ad locum describendum qui Atheniensibus notissimus erat? In omnium ore erant „μακρὰι πέτραι“; ita ut verisimillimum ducam scriptum esse a poeta, quod Fritze in adnott., quas versioni suae germanae fabb. Eurip. addidit, prospera usus fortuna coniecit:

ἄκουε τοίνυν · οἶσθα πού Μακρὰς πέτρας;

in cuius quidem de uno versu sententiam ut discedamus, eo magis adducimur, quod et duorum aliorum virorum accedit haud spernenda auctoritas, Nauckii dico et Badhami, qui v. 942 spuriae originis nota signarunt. Quam pulcre Kirchhoffius vv. 998 et 999 post 1003 transposuerit pluribus non opus est ostendere.

Kyklopis vv. 517 sqq.

Sub fine stichomythiae in codicibus Sileno duo hi versus tribuuntur:

ΣΕΙ. καὶ πρός γε θάλπος ἡλίου πίνειν καλόν 538.
κλίθητί νύν μοι πλευρὰ θεὶς ἐπὶ χθονός.

Kirchhoffius in adnot. crit. ad Kykl. post v. 538 Kyklopis versum intercidisse suspicatur; cuius viri docti sententiam ne amplecterer Kuiçala me movit, qui in diurn. gymn. Austr. arguta disputatione probavit, Silenum v. 538 dicto censendum esse crateram manu arripientem, ut verba sua „καὶ πρός γε κτλ.“ statim actu vera ostendat; qua arrepta verba eum proferre „κλίθητί νύν μοι κτλ.“ Causas quibus adductus hunc Sileni gestum magnam sane vim comicam prae se ferentem coniecerit, adfert v. d. vocem νὺν (v. 539) et versum 542 „ . . πίνειν μὲν οὖν κλέπτων συ βούλει“. Eleganter dein, ut locum totum in pristinum nitorem restituat, παρῴν (542), quod codices exhibent, contra editionum nostrarum lectionem defendit, quae παρῷν mutarunt in παριών.

Orestis 377 sqq.

Inde a versu 415 haec in codicibus leguntur:

ΜΕ. ὡς ταχύ μετῆλθόν σ᾽ αἷμα μητέρος θεαί
ΟΡ. οὐ σοφός, ἀληθὴς δ᾽ εἰς φίλους ἔφυς κακός.

Nemo est qui non videat, v. 416 ita esse corruptum, ut nihil omnino dicat. Varia temptarunt viri docti, sed vitium certa ratione corrigi nequit. Libri recentiorum pauci ab emendatore scilicet correcti habent

„οὐ σοφός, ἀληθὴς δ᾽ εἰς φίλους εἰπὼν κακῶς“,

quibus prolatis haud scio an multum in sententia eruenda profecerimus. Brunckius scripsit „οὐ σοφός . . . . . ἔφυν φίλος“, quod quum sententia evadat satis apta ab omnibus fere editoribus receptum est, sed ne viro docto annuamus eo adducimur, quod a verbis traditis nimium recessit.

Kirchhoffius v. 416 in duas divisit partes, quarum alteram (εἰς φίλους . .) Menelao ita tribuit ut alter eius trimeter verbis illis finiatur; priorem autem partem Orestae reliquit, qua versum suum ad Menelai versus duos continuos respondentem incipiat, ut igitur sit

ΜΕ. ὡς ταχὺ μετῆλθόν σ᾽ αἷμα μητέρος θεαὶ
. . . . εἰς φίλους ἔφυς κακός
ΟΡ. οὐ σοφός, ἀληθὴς δ᾽ . . . .

denique ut laesam ita stichomythiae legem restituat inter Menelai versus v. d. iterum lacunam statuit. Etsi tot lacunas v. d. attulerit, tamen quae coniecit eo minus respuenda nobis videntur, quo accuratius verba tradita servata sunt. Nos eo audaciae non processisse, ut quomodo explendae lacunae sint coniiciamus, nemo profecto nos arguet.

Rhesi v. 468 sqq.

Stichomythia quae exstat inter Rhesum et Hectorem ter in codicibus turbatur, quum vv. 473 sqq. Hectori quattuor, 477 sqq. Rheso quattuor, 483 sqq. Hectori iterum duo versus tribuantur. Sed accuratius nobis stichomythiam

perspicientibus et ipse auctor Rhesi non ita peregrinus in lege stichomythiae videatur. Facili enim negotio dignosces, duas esse huius stichomythiae partes, quarum unâ (inde a v. 468—472) disputetur de pugnandi difficultatibus, alterâ (inde a v. 480—484) de viro, quocum manus conserere velit Rhesus, vv. 473 sqq. et 477 sqq. transitionis igitur loco aperte sunt positi et percleganter egit poeta, quicunque ille fuit, quod versus eos pari numero fecit respondentes. Duos Hectoris versus (483 sq.) quibus altera pars stichomythiae laedi videtur, recte ita defendi censemus, ut rerum necessitate a poeta positi credantur, quum ad narrandam causam quare Achilles a pugna abstinuerit unius versus fines nimis sane arcti videantur.

Eiusdem fab. vv. 559 sqq.

In codicibus vv. 565 et 566 Diomedi tribuuntur continui:

ΔΙ. καὶ μὴν Δόλων γε τάσδ' ἔφραζεν Ἕκτορος
κοίτας, ἐφ' ᾧπερ ἔγχος εἵλκυσται τόδε.

Mirares sane, si esset qui versus continuatos inepte vellet ea de causa positos esse, quod poeta respondentes eos facere voluisset duobus versibus praecedentibus, nam voculam ἔα et alias eiusmodi (φεῦ, ὤμοι κτλ.) ad numerorum rationem nihil valere notissimum est. Aperte poeta unum versum excedere, ut supra, rerum necessitate coactus est, quum ad describendum militare Hectoris tabernaculum copia unius iambi non sufficeret.

Phoeniss. vv. 708 sqq.

Codices Kreontem exhibent continuantem vv. 711 et 712.

KP. μέλλειν πέριξ πύργοισι Καδμείων πόλιν
ὅπλοις ἑλίξειν αὐτίκ' Ἀργείων στρατόν.

Fuere quidem,*) qui et hoc loco versus continuos neces-

---

*) Cf. Heilandius, progr. gymn. Stendal.

sarios eo defenderint, quod, quae de periculo ab Argivis urbi imminente Kreon proferret, unius iambi spatio concludi non potuisset. At vel tironem offendunt verba illa *Καδμείων πόλιν* et *Καδμείων πόλει*, quae uno tantum versu interiecto in fine v. 711 et 712 recurrentes aegre audiuntur. Itaque medicinam huic loco indagantes minime haerebamus, quin in Kirchhoffii ea de re sententiam discederemus, qui in adnot. crit. ad Phoen. haec ad versus illos adscripsit: „perversa stichomythiae ratio turbatum hic aliquando esse evincit. Nimirum quum sic scriptum olim fuisset in libris:

KP. *μέλλειν πέριξ πύργοισι (προςβαλεῖν λόγους)*
ET. *ἐξοιστέον τἄρ᾽ ὅπλα Καδμείων πόλει.*

Librarii autem errore verba *Καδμείων πόλει* tralata in versum praecedentem genuina poetae verba *προςβαλεῖν λόγους* (sive quidquid eorum loco positum fuisse putandum est) expulissent, ab emendatore postea ut sententia scilicet constaret additus est versus ille intermedius *πόλει* simul mutato in *πόλιν*“.

Eiusdem fab. 901 sqq.

Stichomythia quae est inter Teiresiam et Kreontem 906 sqq. et 914 sqq. turbatur Teireisiae versibus continuis

TEI. *κλύοις ἂν ἤδη τῶν ἐμῶν θεσπισμάτων.* 906.
πρῶτον δ᾽ ἐκεῖνο βούλομαι σαφῶς μαθεῖν,
ποῦ ᾽στιν Μενοικεύς, ὅς με δεῦρ᾽ ἐπήγαγεν;
TEI. *ἄκουε δή νυν θεσφάτων ἐμῶν ὁδόν·* 914.
ἃ δρῶντες ἂν σώσαιτε Καδμείων πόλιν·
σφάξαι Μενοικέα τόνδε δεῖ σ᾽ ὑπὲρ πάτρας
σὸν παῖδ᾽, ἐπειδὴ τὴν τύχην αὐτὸς καλεῖς.

A viris doctis diversa diversis ex causis sunt temptata. Nauckius*) vv. 906 sqq. minime offensus in quattuor versibus 914 sqq. ita haeret ut v. 915 prorsus deleat atque 914 et 917 in spuriae originis suspitionem vocet; in priori igitur loco laesae stichomythiae annuens in altero versibus

*) Nauckius, adnot. crit. ad Phoen. XXV.

quovis modo eiectis ordini stichomythiae restituendo studet. Quod quidem v. 915 eiiciendum censet v. d., fatendum sane, recte eum odoratum esse; codices enim etsi omnes versum exhibeant, tamen alius alia tradit verba: cod. Harleianus „ἃ δρῶντες ἂν μάλιστα σώσαιμεν πόλιν Καδμείων"; ceteri, qui interpolationis suspitione gravi laborant „ἃ δρῶντες ἂν σώσαιτε (σώσετε Marcianus) Καδμείων πόλιν". Quae haud constans codicum traditio magnum revera addit argumentum, iusta iudicasse v. d., qui v. 915 iam ea de causa delendum censuerunt, quod symmetriam novam (3 : 3) perturbet aperte a poeta temptatam, et ex v. 867 male eum huc translatum dixerunt. Sed vv. 914 et 917 nec in traditis verbis ipsis nec in sententiis non exhibent quibus inhaerentes interpolationis notam versibus iis inuramus; immo pereleganter positi sunt a poeta, ut respondeant tres Teiresiae versus 914. 916. 919 ad priores eiusdem 906. 907. 908: hic enim quid deus poscat revelaturum se promittit Teiresias, illic dei de Menoikeo funestam vocem ipsam Kreonti patri refert. Manifestum igitur, poetam dereliquisse hoc loco stichomythiae ordinem, ut aliam versuum symmetriam poneret, ita ut sit versuum ratio inde ab inita stichomythia 1 : 1 (vv. 901—904), 1 : 3 (905—908), 1 : 1 (909—912), 1 : 3 (913—917), 1 : 1 (918—933). —

Perlustratis tot exemplis, ubi in Euripidis stichomythiis versus singulos continuis versibus turbatos libri exhibent, non semper de laesa stichomythia iudicandum esse vidimus. Multis enim locis aut interpolator erat increpandus aut statuenda lacuna, et iis ipsis locis, ubi continui versus in suspitionem vocari non poterant, haud raro versus illos salva stichomythiae continuitate positos invenimus, quum aut alterum versuum ad semet ipsum personam dixisse aut utrumque (vel quotquot fuerunt) ad notandas stichomythiae partes a poeta scriptum esse probaverimus. Nonnullis quidem locis de laesa stichomythiae symmetria iudicium ferendum fuit, sed causas indagantes, quibus ut admitteret versus continuos poeta adductus crederetur,

plane perspeximus, nisi summa rerum necessitate coactum singulos versus Euripidem non excessisse idque interdum id egisse ut pro omisso hoc stichomythico ordine aliam quandam versuum symmetriam elaboratam exhiberet. — Si denique Aeschyli et Sophoclis stichomythias respicimus, non est negandum, Aeschylum quidem eodem modo, quo Euripidem, in dialogo stichomythico singulos versus persequendos curavisse,*) nec nisi coactum necessitate rerum consueto numero plures posuisse, etsi multo minores et rariores eiusmodi stichomythiae sint apud Aeschylum. At inter Sophoclem et Euripidem hoc interesse vix quemquam effugere potest, quod Sophocles in necessitate quadam agnoscenda minus anxius fuerit, et respectu eius haud raro continuos versus in stichomythiis admiserit; cum enim res quaedam graviores explicantur, cum narrata proferuntur (cf. Aias 94. Electr. 920. O. R. 356. O. C. 385. 465. 579. Trach. 64. 1126. 1181. Philoct. 28. 245. 893), cum gaudio magno sive dolore loquentes adfecti sunt (cf. Ai. 105. Electr. 1176. Antig. 82), si homines loquaces inducuntur (cf. O. R. 934. 989. Antig. 401), sententias magis quam numeros respexit Sophocles:**) ceterum aeque ac Euripides

---

*) Sept. 1042 sq. occurrunt vv. 1051 et 52 continui, sed recte ii positi, ut in fine colloquii; eadem ratio Choeph. 929 et 30. Prom. 780 et 81. cf. Sudhaus, in programmate gymn. Treptow a/R.

Hiket. vv. 210 et 211 continui in libris leguntur, sed inter vv. *κεἰνου* . . . et *καὶ Ζηνὸς* . . . versus excidit, qui fuerit Chori; item Hik. 296 inter vv. *καὶ μὴν* . . . et *καὶ Ζεὺς* . . . (311. 312) versus excidit, qui fuerit regis; aeque lacuna statuenda inter vv. *Ἔπαφος ἀληθῶς* . . . et *Λιβύη, μεγίστης* . . .

de Prom. 977 sq., ubi unus versus inter Prometheum et Mercurium dispertiri videtur, cf. Sudhaus, in progr. gymn. Treptow a/R.

**) Aias 529 de laesa stichomythia non iudicandum, nam vv. 541 et 524 non Aiacem adloquitur Tecmessa, sed Eurysacem filium adpellat iubetque eum adferri; itaque ea, quae sequitur, patris ad filium ultima adlocutio apte a poeta indicatur et praeparatur.

O. R. 557. 572 sq. et 574 sq. bini Oedipi et Kreontis occurrunt versus, sed duae facili negotio dignoscuntur stichomythiae, quarum prior continetur vv. 557—571, altera 577—582.

interdum id egit, ut stichomythiae ordine relicto alia poneretur numerorum ratio (1 : 2, 1 : 2), cf. O. R. 934. Trach. 1126. Philoct. 28. —

Antig. 40. stichom. violari videtur vv. 45 et 46 continuis, sed versum 46 iam Didymus interpolatori tribuit scholiasta teste, qui ad v. 46 adscripsit: Δίδυμός φησιν ὑπὸ μνηματιστῶν τὸν στίχον νενοθεῦσθαι. Cf. F. W. Schneidewinus, qui in adnott. ad fab. Soph. pro 45 et 46 scripsit: „ἔγωγε τὸν ἐμὸν, τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς“.

Philoct. 1250 sq. vv. 1251 et 1252 leguntur continui; Hermannus, Dindorfius, Bonitzius lacunam inter eos statuerunt; Kuiçala in diurn. gymn. Austr. a 1858 de versibus his continuis et probabiliter et recte ita disputavit, ut nihil dicat inter eos excidisse, sed ut omnia recte se habeant Ulixem post v. 1251 fingendum tantum esse gestu se gladium stringere velle significantem; qui quidem Ulixis gestus et bene in versus locum cedit et optime cum Neoptolemi verbis concinit, quae statim sequuntur „ἀλλ᾽ οὐδέ τοι σῇ χειρὶ πείθομαι τὸ δρᾶν“. —